
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Elzevir

Voyez les vignettes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Ex Bibl. Walliana.

~~Gr~~

~~C~~

KW 224
B 46

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

GOTFR. HEGENITII

ITINERARIVM FRISIO-HOLLANDICUM,

ET

ABR. ORTELII

ITINERARIUM GALLO-BRABANTICUM.

In quibus quæ viſu, quæ lectu digna.

ACCEDIT

GEORGII LOYSII

C. V.

PERVIGILIUM MERCURII,

In quo agitur,

DE

PRÆSTANTISSIMIS PEREGRINANTIS VIRTVTIBVS.

Editio ultima, auctior & emendatior.

LUGD. BATAVOR.

Apud Viduam HENRICI VERBIEST.

CIƆ IƆC LXVII.

Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Pari Lectiſſimo Nobiliſſ. & Egregiorum valde Iuvenum,

D. ARNOLDO vander MYLE, in Dubbeldam, Bleskenſgrave, Antonis-Polder, &c.

D. FREDERICO-LUDOVICO ab AISSEMA, in Alſem, &c.

Hoc quidquid eſt obſervationum Apodemicarum

LIBENS MERITO

Eximii Amoris tenuiſſ. Symbolum DO, DICO, ADDICO,

GOTFRID. HEGENITIVS,

Ἀρετῇ καὶ χάριτι.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

NOBIL. IVVENTVTIS

PRINCIPES,

Quos ætas, quos virtus & ad meliora animus pares eſſe fecit, abs ſe invicem disjungere nefas ac relligio mihi fuerit. Nec te latere poteſt Nobiliſſ. VANDER MYLE, *aut ſenſibus tuis excidit memoria ſuaviſſimæ illius converſationis, qua triennio abhinc Nobiliſſ.* FREDERICUM-LUDOVICUM ab AISSEMA *Hagæ-Comitum proſecutus es, abeuntem etiam donis litterariis, interque ea libro qui* BATAVIA ILLUSTRATA *inſcribitur, adfeciſti. Agnoſcit jamdum hunc adfectum optumæ notæ Iuvenis, & ut tacita quadam mente hactenus coluit, ita brevi ſperat incoram fore occaſionem, qua tam carum caput exoſculari, &* dextræ conjungere dextram *liceat. Quo conſilio te quoque his in chartis ſecum conſiſtere voluit, quem in ore, in auribus, in oculis etiam quaſi præſentem quottidie habet. Quod ſi aliqua* VOBIS *laus à virtutibus paternis accedere debeat, næ feliciſſimi eſtis, quos à tantis Heroibus naſci contigit. Patrem habes,* ARNOLDE VANDER MYLE, *de quo ſatius tacere ſit, quam multa verba proferre, quod olim de Carthagine quidam dicebat: quia ut meritiſſimo ſuo laudetur, ita ſatis*

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

non poteſt. Loquatur Patria, quam, inter primos Batavicæ Nobilitatis clavum tenens, OPE, CONSILIO *ad invidiam uſque juvit; tribus ſplendidiſſimis legationibus in cauſa communi perfunctus, binis ad Henricum illum Magnum Galliarum Rectorem, una ad Sereniſſ. Rempub. Venetam. Quibus operam ſuam ac indefeſſum pro ſalute publica ſtudium ita adprobavit, ut tum demum ſe beatos fore exiſtimarint, ſi hoc Neſtore aut Ariſtide tanquam ſuo uti frui poſſent. Nec Athenæ Batavæ iſtud abnuerint, de quibus hic, Apollo an Atlas dixerint? ita meritus eſt, ut quidquid illic ſunt, qui jam ſunt, huic uni ferè cum paucis acceptum ferant. Quid autem de tuo, Nob.* FREDERICE *ab* AISSEMA, *patre ediſſeram? Dignus eſt cani meliore Muſa; ego illuſtri huic Soli nebulas potius quam lucem canoris meis nugis intulerim. Quis & quantus ſit, Divæ memoriæ Imp. Cæſar* RUDOLPHUS *abunde olim cognovit; novêre Reges Galliæ, Angliæ, Germaniæ Principes multi: quibus partim legatus in negotiis graviſſimis adfuit, partim divini conſilii ſuada adſtitit. Norunt etiamdum viri incomparabilis fidem Illuſtriſſimi ac Præpotentes Fœderatæ Belgicæ Ordines, quorum proviſu & auctoritate multos jam annos munus Legati ac Deputati apud civitates Hanſeaticas Circuli inferioris Saxoniæ bono publico nec minori ſua laude admini-*

ſtrat. Macti eſtote his Genitoribus, NOB. JUVENES; *ad quorum virtutes & immortalia merita, ſi, prout cœpiſtis, haud ſegni paſſu contendere melli ac volupe* VOBIS *fuerit, ecce locus in Honoris ac Gloriæ ſacrario non ultimus vos exſpectat. Cujus fauſtiſſimæ ominationis ergo hoc quantulumcunque eſt* ὁδοιποϱικοῦ, *Nominis V. præſcriptione inſignire libuit; neutri quod ſpero ingratum opus. Quamvis enim pleraque, quæ heic memoro,* ARNOL. VANDER MYLE, *pro notis & jam forte viſis Patriæ T. rebus habere poſſis: tuum tamen* F. L. AB AISSEMA, *qui nunc Diis Vialibus litat, aliquid exinde oblectamentum capere ſuſtinebis. Quod enim de* telis *ille ait,* cum præviſa fuerint, ferire minus; *idem ego de itineribus arbitror, illorum ſcilicet oculis & animo* præconceptam *quandam* delineationem *minus moleſtiarum & incommodi parere. Accipite igitur uterque hunc libellum non à ſui pretio aut pondere exiguo, ſed ab adfectu potius meo, quem purum & integrum* VOBIS *ſervabo, dum ero, immo etiam cum non; ſiquidem.*

Tranſcendit fati limina magnus Amor.

Valete, Muſarum amores, ocelli Gratiarum, FELICITER, *& havete à*

Lugd. in Batavis, x Eid. Iulias A. C. XXIIX ſupra XVI ſæcula.

VIRTUTIB. V.

addictiſſimo

G. HEGENITIO.

Ad

Ad Eruditiſſimum

D. GOTFR. HEGENITIUM

I. V. C.

Barbaries iterum tetris irrepere pennis
Incipit, & turpi ducere cuncta ſitu:
Ex oculis poſtquam clepit hos mors lurida; qui ſe
Barbaricæ fortes oppoſuere Lui.
Huic quoque portento denunciat horrida bella
HEGNITIUS, *Quada nobile germen humi.*
Et quâ parte movet veſtigia culta viarum,
Hac premit ingenii maxima ſigna ſui.
Qui modò mente vagâ Belgarum raptus in orâ es,
Hoc faſtiditas indice carpe Roſas.

αὐτοσχεδιαςὶ

IANUS GEBHARDUS
Profeſſor Groninganæ
Academiæ.

I. LIPS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

I. LIPS. IN EPISTOL.

Humiles iſtæ & plebeiæ animæ domi reſident, & adfixæ ſunt ſuæ terræ: Illa divinior eſt, quæ cœlum imitatur, ac gaudet motu.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

GOTFR. HEGENITII ITER FRISIO-HOLLANDICUM.

ANNUS jam & eo amplius excurrit, cum *Hamburgo* iter ad Batavos arripui DUCE DEO, COMITE HYGEIA; quam peregrinantibus Divam opt. maximam judico, præſertim ſi Juno Moneta acceſſerit, nervus ac ſanguis alter mortalium. Poſteaquam igitur abhinc *Stadam*, ſeu, ut Ptolemæi appellatione utar, *Setutandam*, quæ condita eſt ante N. C. annis 321, & deinde *Bremam* terra perveniſſem, vitandi majoris periculi cauſa cymbæ me committere placuit, & ita fluvio *Viſurgi* ac *Amiſia* DELFEZIELUM delatus ſum, quod eſt propugnaculum Belgii fortiſſimum, & velut murus aheneus verſus Germaniam. Tum petita mihi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

GRONINGA.

Urbs provinciæ ſeu dynaſtiæ ſuæ cognominis, ejuſque mater. Amœna valde eſt, & probe munita *vallo* adverſus vim hoſtilem. Prodierunt ex ea vel agro ejus tanquam Caſtor & Pollux duo ſidera, *Rudolphus Agricola* & *VVeſſelus Gansfortius*: quorum ille quantus fuerit, ſat teſtari poteſt elogium Epitaphium ab *Hermolao Barbaro Veneto* ſcriptum, quod etiamnum Haidelbergæ, ubi Agricola obiit, in æde Franciſcanorum legitur:

Invida clauſerunt hoc marmore fata Rudolphum
Agricolam, Friſii ſpemq; decuſque ſoli.
Scilicet hoc vivo meruit Germania laudis
Quidquid habet Latium, Græcia quidquid habet.

VVeſſelus autem ea omnium litterarum ac diſciplinarum cognitione erat præditus, ut communi nomine diceretur lux MUNDI. Cujus ſcripta pio ſane adfectu & honore collegit ac publici juris fecit vir non minus arte quam Martis peritia præſtantiſſimus *Petr. Pappus à Tratzberg. Tumulus* ejus eſt in loco remotiori ac ſubobſcuro, quo Cœnobium olim Virginum monialium fuit. Saxum ſepulchri ingens, ſed nulla inſcriptio. Fuit & patria Groningenſis *Re-*

gnerus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

gnerus Pradinius, ob varios libros, quos in publicum emiſit, non poſtremum ſuperioris ævi decus. Hodie Urbs *Academia* gaudet, fundata d. 22. Aug. A. 1607. Rectore primo *Vbbone Emmio*, qui hiſtoriam patriæ ſuæ Friſiæ eximium ac æternum opus egregio publico vulgavit. Laudes ejus & merita cognoſci poſſunt ex parentatione ab amico conjunctiſſimo *Nicolao Mulerio*, Medico ac Matheſeos in Acad. Groningana Profeſſore, contexta. *Epitaphium* in templo Academico hoc exſtat:

IMMORTALI MEMORIÆ
CLARISS. ET PIENTISS. SENIS
UBBONIS EMMII
FRISII GRETHANI
PRIMI ACAD. GRON. RECTORIS,
THEOLOGI SINCERI,
PHILOLOGI EXIMII,
HISTORICI ABSOLVTI,
VIRI PRVDENTIÆ SINGVLARIS
(QVI PER OMNEM VITAM
SVA SORTE CONTENTVS,
LABORE INDEFESSO
DE ECCLESIA AC REPVBL. PATRIA
QVAM OPTIME MERITVS;
VERE PIA DEMVM AC PLACIDISS.
MORTE DEFVNCTVS
HEIC CORPORE QVIESCIT)
MARGARETHA A BERGEN
VIDVA ET LIBERI SVPERSTITES
MOERENTES
H. M. P.

VIXIT IN TERRIS AN. LXXVIII.
DIES IV. ABIIT IN COELOS
AN. CHRISTIANO MDCXXV.
DIE IX. DECEMB. IVL.

In *Acroaſi* ſeu Auditorio Philoſophico videtur effigies rubeo colore picta IV. Vermium, & illi adjuncta inſcriptio:

Lumbrici quatuor in rene dextro canis reperti à ſtudioſis Medicinæ anatomen privato ſtudio exercentibus. Anno 1616. *Februario.*

Epitaphium illud in æde D. Martini facetum magis, quam ut ſeriam ac ſeveram pietatem ſpirare videatur:

Laet lopen voerdan die lopen luſt,
Ick heb gelopen, en leg hier in mijn ruſt.
Johan Burckhorſt. A. 1609. den 14. Jul.

Bibliotheca etiam ibi eſt, ubi præter libros aliquam-multos hiſtoria videri poteſt, tabulæ penſili inſcripta. Hanc, quia in pauciſſimorum manibus verſatur, huc adponere operæ pretium duxi.

Caſus in cordis vulnere admirabilis.

Nicol. Mulerius lectori ſal.

Creditum hactenus fuit, corde vulnerato non poſſe quemquam vel ad unius horulæ momentum vitam producere. Quam ſententiam ratio firmat & experientia. Cum enim vita noſtra à ſpirituum incolumitate dependeat, quorum officina fabricaque in ipſo corde ſita eſt,

eſt, corde vulnerato, ſpirituum generationem impediri ac prorſus ceſſare neceſſum eſt. Verum hiſtoriam valde memorabilem hoc loco proponere viſum fuit: hiſtoriam inquam militis, qui in corde ſaucius vitam ultra quindecim dies ſuſtentavit: qualis nec in veterum nec in eecentiorum Medicorum obſervationibus nulla nobis hactenus occurrit. Andreas Haeſevanger, Illuſtriſſ. Comitis VVilhelmi à Naſſau, Friſiæ, Groningæ, Omlandiæ, &c. Gubernatoris cohorti prætoriæ adſcriptus. vulnus in pectore à commilitone accepit anno Dom. 1607. die 22. Auguſti ſub veſperam. Obiit die octavo Septemb. hora una poſt exortum ſolis, qui erat dies decimus ſextus à vulnere inflicto. Defuncti cadaver prætoris militaris juſſu vulneris explorandi gratia à me & duobus chirurgis Caſpare & Luca Hulteno apertum & examinatum fuit, præſente & ſpectante viro ſtrenuo ac Nobiliſſ. Bernhardo Hoornkens, ſpectantibus etiam nonnullis aliis imæ ac melioris ſortis militibus. Ecce, aperta pectoris cavitate, evacuataque haud parva materiæ purulentæ minime fœtentis copia, deprehendimus admirabundi, vulnus in cordis uſque ſinum dextrum penetraſſe, iſtamque cordis partem fere totam contabuiſſe, ſiniſtra parte manente incolumi, in qua continetur primaria ſpirituum vitalium officina. Hujus igitur unius beneficio vita Andreæ ad de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

cimum ſextum diem conſervata fuit. Et ne forte hujus narrationis dubia eſſet apud nonnullos fides, eam teſtimonio ſuo manuumque ſubſcriptione muniverunt viri nobiliſſimi ac ampliſſ., Bernhardus Hoornkens, præſidii urbani præfectus, & Petr. Pappus prætor militaris. Qui etiam hiſtoriæ hujus luculentam fecit mentionem in eruditis ſuis ad diſciplinam militarem commentariis. Actum Groning. die 22. Iunii 1627.

Bernhard. Hoornkens. Atteſtor ut ſupra. Actum 22. Iunii 1627.

Peter Pappus van Tratzberg, hiſtoriam hanc veram, & de ea mihi bene conſtare, atteſtor.

LEOVARDIA

Urbs primaria Friſiæ minoris ſeu Occidentalis, ubi & ſummum *Tribunal Provinciæ*, & ſedes Illuſtriſſ. Gubernatoris, qui hodie eſt Erneſtus Caſimirus Comes Naſſaviæ, &c.

In illa nihil adeo præcipuum videas, niſi in *templis* multa elegantiſſima Epitaphia, quorum aliqua in gratiam curioſi lectoris memorare viſum.

I. In *fano Iacobæo* præ aliis eminet monumentum Guilielmi-Ludovici NaſſavI:

GVIL-

GUILHELM. LUDOVICUS. JOH. F.
COM. NASSOVIVS. FRISIÆ.
GRON. ET. OMLAND. DREN.
TIÆQ GVBERN.

HEROS. REB. DOMI. MILITIÆQVE. GESTIS. INCLITVS. VERÆ. RELIGIONIS. ET. BELGICÆ. LIBERTATIS. POST. GVILHEL. PATRVVM. ET. MAVRIC. PATRVELEM. AVRANTIÆ. PRINCIPES. ASSERTOR. PRÆCIPVVS.

ANIMAM. DEO. LVBENS. COELESTIS. GLORIÆ. DESIDERIO. REDDIDIT. A. CHR. CIↃ IↃC XX. PRID. KAL. IVN. ÆTAT. LX. GVBERNAT. FRIS. XXXVI. GRON. ET. OML. XXVI. CORPORIS EXVVIAS. LÆTAM. RESVRRECT. EXPECTANTES. HEIC. DEPOSVIT. III. EID. IVLII. SEQ. A. MDCXXV.

Symbolum Comitis erat: *VVils God mit Ehren.*

Item: *Epitaphium Nobilis viri Heſſeli de Meckmans.*

Heſſelus Meckmans Friſiam moderante Merode
Pro patria Martis ſigna ſuprema tuli.
Deinde fui ſævis belli præfectus in armis,
Dum regis & Friſiam Naſſoviane Comes.
Sex octoginta quingentos terque biformis
Ianus agens annos Antoniique diem,
Luſtraque quina videns vitæ, dum fortiter hoſti
In Boxū inſto, latus trajicit haſta meum.

 Scipio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Scipio de Meckmans, Emnens Crombacha parentes
Heic ſtatuunt mœſti mœſta ſepulchra mihi.

Item: M. S.

Ioanni Maltiſonio ex gente Cimbrica prope Cherſoneſum familia & loco apud ſuos illuſtri, Maltone Iantſon in Cimbria quondam juri dicundo prætore generali, & Sophia Bilde, patentibus oriundo, qui Anglia & Scotia peragratis, fratrem Ordin. Belgii in Friſia Occidentali legatum inviſurus, dum pugnæ ad Boxum prope Leewardiam animoſius quam felicius ſe immiſcet, nec periclitantem vult fratrem deſerere, lancea tranſactus fortiter cadit, ætat. anno XX. *ſalutis* cIↃ IↃ XXCVI. XVII. *Nonar. Ianuar. Steno Maltiſonius Fratri deſideratiſſ. P. C.*

Fraterni exẽplar me fama loquetur amoris,
Sic quamvis vitæ meta cruenta meæ.

II. In *templo Galilæo*. vulgo *Galeiſter kerk.*

I. *Sepultura Clariſſ. excellentiſſ. Viri I. V. Licentiati, Magiſtri Iacobi à Stavele, Flandri, Invicti Caroli V. Rom. Imperatoris in hac ſua patria Conſulari Friſiæ præſidis ſecundi, qui poſtquam laudabiliter decem annis præfuit, obiit die* 4. *menſ. Aprilis A. à nativit. Domini* 1541. *nec non Domicella Iohanna Smaijers ejus contheralis.*

Nec

Nec è trivio eſt illud *Gisberti Aernſma.* Senatoris in Curia Friſiæ Manibus poſ.

2\. *Si pietas candorque mori doctrinaque poſſent,*
Et cum juſtitia non temerata fides.
Hoc tecum Gisberte velint ſub marmore condi;
Tam ſunt conſtanti fœdere juncta tibi!
Aſt ea mortalis cum ſint immunia fati,
Participem ſortis te voluere ſuæ.

Cui ob piam venuſtatem ac ſimilem fere ſententiam jungendum venit illud *Frederico ab Haere* ſacrum:

3\. *Si pietas, ſi fama mori, ſi denique ſummum*
Regia nobilitas poſſet obire diem;
Si quicquid Charites præſtant mortalibus, unquam
Interit; hoc uno clauſa latent tumulo.
Vivus enim hæc vere tenuit Fridericus ab Haere,
Et ſecum ætherei vexit ad aſtra poli.

4\. Item: *A. 1616. den 6. Aug. Is den Erntſ. welgelerte M. Bernardus Furmerius Hiſtoryſchriefer deſer Landtſchap inden Heere geruſt.*

Res geſtas patriæ, quas longa oblivio rerū
Preſſerat, & veri ſæva noverca dies;
Obſcuri vindex, & libertatis avitæ,
Dum vetat annoſa nocte latere duces:

Immoritur curis, livore infractus & annis,
Quoque animo ..... hoc tulit invidiam.
Quaſque viro laudes ætas ingrata negavit,
Iudice poſteritas nunc meliore probat.

Heic obiter & ὁδῷ πάρεργον addere liceat; hunc *Bernardum Furmerium* ſucceſſiſſe *Fuffrido Petri* Illuſtr. Ordd. Friſiæ hiſtorico, qui & ipſe domo Leovardianus fuit. Has autem partes in ſe devolvi hodie paſſus eſt V. Ampl. D. *Pierius VVinſemius*, non minori patriæ bono, quam ſua ipſius laude immortali.

5. Epitaph. *Alberti Boneri*, qui obiit MDCXI. 3. Mart.

Mirare lector: ille qui heic jacet Albertus
Bonnerus, uno in pectore omnia complexus
Miranda quæ virtus facit & decor recti.
Hinc eſt quod ad Rempublicam capeſſendam
Vocatus, ut Pater Patriæ gubernarit.
Tandem peregrinus heic redit ad ſuos cives.
Miſeranda Friſia! Sed nefas reluctari.
Namque ut optimum quidque eſt, ita interit primum.

6. Epitaph. *Matthiæ Thiabbeni* rei tormentariæ in Friſia præfecti, qui ob. 1600. Jul. 17.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Heic pia Thiabbeni poſuerunt oſſa MA-
THIÆ,
Docta cui pietas vita quieta fuit.
Mundus opes, animam cœlum, terram-
que reſumſit
Terra, Deus vitam cum tulit, ecce dedit.

III. In *templo*, quod vocant, ob vetuſtatem opinor, *Oldenhove*, hi Rhythmi Belgici ad conditorium craniis humanis deſtinatum ſunt adſcripti:

Och Adams kynderen bedenkt u recht,
Hier lecht de heere by den knecht:
Edel, onedel, arm ende rijck,
Sijn alle geworden eerde en ſlijck:
Als ghy nu zijt, zijn wy geweſt,
Keert u tot Godt dat is u beſt;
Als wy nu zijn, ſoo moet ghy wordden,
Verlaet de ſonden, het ſijn ſware bordden,
Bereyt u uw' huys, ende leert nu ſterven,
So moecht ghy na dit leven het Rijcke
Gods beerven.

Reparata eſt hæc inſcriptio An. MDCXIII. quæ forte ſenio aut ſitu obliterata fuerat.

Superſunt præterea in *æde S. Viti* hæc Epitaphia:

I. *Occidit ante diem miſeranda morte Iacobus*
Coniſius, patriæ ſpeſque decuſque ſuæ.
Perdidit incauto pila quem palmaria
lapſu.

Quid

Quid tutum eſt, ſi nec ludere fata ſinant?
Vrbs dolet exſtinctum civem plebiſque tribunum,
Ereptum conjunx flet viduata virum.
2. *Fravia Donia jacet duro hoc tumulata ſepulchro;*
Primum dum natū parturit, ipſa perit.
Vita data eſt nato, ſed vita negata parenti;
Pro miſera hac vita vita perennis erit.
3. *Hic ſitus eſt medica Doctor Gulielmus ab arte*
Regnerides celebris, practicus egregius.
Ingenium cujus, ſpagyrin, praximque probatam
Plebs & magnates obſtupuere ſimul:
Immo & mirati ſunt hæc quoque dona inimici,
Queis cum virtute ſplenduit eximius.
Sumptibus haud ullis, ut nec ſitiente labore,
Deſtitit, ut medicos condecoraret agros.
4. *Hoc tegitur tumulo præclari civis Eraſmi*
Corpus, quod cinis eſt in cineremque redit;
Sed probitas, virtus, pietas, & vivida honeſti
Cura, tenent meritis aſtra parata ſuis.
5. *Ballingus jacet hac Themidis ſub mole ſacerdos,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Iuſtitiæ antiſtes, Pieridumque decus.
Quem patria egreſſum, ut menſura liqueret agrorum
Trans Amaſum, morti glans inopina dedit.
Quid prodeſt pietas? quid dia ſcientia? fatum
Incurva properans omnia falce metit.

6. *Vt ſtudiis animum formem, rectamque juventam,*
Franequeram dum me mittit uterque parens;
En ſtudioſa cohors pro more Beanica tollens
Cornua, proh nugas, me miſerũ mutilat.
Hincque nimis truſa mors me rapit horrida fronte,
Atque ſub hoc tumulo membra ſepulta jacent.

7. *Hic decus Aſtreæ Decamanæ gloria ſtirpis*
Petre jacens, patriæ lux columenque tuæ.
Nil quod Eques, magni quod eras pars magna Senatus,
Profuit, at virtus & benefacta juvant.

8. *Hic recubat doctor Medicæ Brunsfeldius artis,*
Ille Theodorus δωρεὰ grata Dei.
Nec cubat hic totus, colit at mens ætheris arces:
Poſthuma virtutis fama perennis erit.

9. Quod

9. *Quod tegit hoc marmor; nil nunc niſi*
corporis oſſa:
Hoc erit extremo, quod fuit ante, die.

10. *Menno ſtudens claudus jacet hac ſub*
mole ſepultus,
Spiritus æthereâ ſede beatus ovat.

11. *Quid morum probitas, primoque in*
flore juventæ,
Quid facile ingenium, ſcriptaque me-
tra juvant?
Hunc etiam ante diem feralis Parca peti-
vit,
Ac immaturis extulit exequiis.
Mors æquo pede cuncta premit; mens ſola
perennat,
Atque habet in terris poſthuma fama
locum.

12. *Petrus marmorea jacet hac ſub mole*
Tyara,
Parcere cui fati non voluere vices.
Maluit in vita privato vivere cenſu,
Quam faſtum mundi divitiaſque ſe-
qui.
Corpus habet terram, ſibi mentem ſumſit
Olympus,
Quæ dabit extremus ſurgere poſſe dies.

13. *Iulius à Beel, cauſas qui Cæſaris olim*
Qui quoque curavit regia jura diu,
Et tandem inde tribus prudens in munere
tanto,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Nam populo ſemper charus & æquus
erat,
Hoc tegitur ſaxo, ſed corpore: Spiritus au-
tem
Conſcendit patriam poſt pia facta ſuam.
14. *Yvo luſtra videns vita quindenà*
Ioannes
Hic ſua funereo tradidit oſſa rogo.
Summus erat ſacra vivens hac paſtor in
æde,
Nunc agit in ſupera Spiritus æde ſua.
15. *Vive memor lethi cinis, umbra &*
mortis imago.
Es quod eram, fies quod ſum; nunc fide
juventæ.
Α῎λφα *mihi ſit principium, ſit* Ω᾽μέγα *finis.*

Cæterum Leovardia cunas & ortum dedit V. C. *Georgio Ratallero*, Conſiliario Regio in Senatu Mechlinienſi, J. C. & Poëtæ non è multis, qui ob virtutum ſuarum præſtantiam & in rebus agendis dexteritatem poſtea factus eſt Præſes Ultrajectinus.

Leucæ plus minus ſpatio ab urbe diſtat pagus ZUICHEMUM, *Viglii* illius nobiliſſ. J.C. ſolum genitale, qui Eques auratus fuit, & utriuſque in Belgica Regii Conſilii, Status nimirum & Sanctioris, Præſidem meritiſſimo ſuo egit, Divi etiam Bavonis, præter alia ſacerdotia, apud Gandenſes Præpoſitus. Doc-

DOCCUMIUM.

Urbs non adeo magna, elegantiæ tamen ac vetuſtatis haut aſpernandæ. Jus cudendi monetam priſcis temporibus habuit: in cujus rei exemplum prægrandem ex auro numum mihi oſtendit vir literatiſſimus ac multo rerum uſu præſtans D. *Meinardus ab Aitſema* Reipub. illi & Conſilio Admiralitatis à Secretis: ex quo & urbis antiquitatem æſtimare licet.

In anteriore parte ejus hæc inſcriptio:

OBBO. DVX. FRISIÆ. DOCCVMBVRG. CONDIDIT. ANNO. 248. VBI. GONDEBOLD. REX. CIVITATEM. MOENIIS. CINXIT. ET. AVREAM. MONETAM. CVDIT. ANNO. 739. MOENIA DOCCVMANA DIRVTA ANNO 1422. RESTAVRATA. 1516. DIRVTA ANNO. 1531. RESTAVRATA 1582.

In altera erat:

Si. Dominus. non. cuſtodiat. civitatem, fruſtra. vigilat. cuſtos. Pſal. 127.

Sola hodie inter omnes Friſiæ civitates Senatum ſeu Conſilium rei Navalis, vel, ut vulgo loqui amant, *Collegium Admiralitatis*, apud ſe retinet. Quorum in Provincia Hollandiæ tria: Amſtelodami, Hornæ, Roterodami.

Natales in ea hauſit celeberrimi ille nominis,

minis Medicus ac Mathematicus *Gemma Friſius*, qui Lovanii A. Dom. MDLV. vivere deſiit.

Dimidio abhinc lapide & præter-propter *Pagus* eſt, quo ferunt D. Bonifacium, quum panes à ruſtico ſibi fame laboranti malitioſe denegatos in lapidem convertiſſet, cũ ſociis ſuis martyrio adfectum fuiſſe, circa A. C. 755.

Exſtat etiamnum *Fons D. Bonifacii* in medio cœmeterio templi Doccumani. Quamvis & alii *Sacram ſtolam, calicem, panes lapide concretos, & cranium S. Bonifacii* adhuc reliqua eſſe teſtentur. Ego tamen quia nullum ex illis vidi: nihil etiam de re vetuſta ac incerta heic adfirmare auſim.

FRANEKERA.

Urbs hæc eſt Chriſto, Paci Muſiſque ſacrata.
Ergo bonos tantum, non amat illa malos.

Quæ Epigraphe ſuper porta Harlingenſi legitur.

Arx ibi eſt in aditu oppidi, qua ab Occidente venitur, opere lateritio firmiſſimo, profunda lataque foſſa circumflua; ex cujus aquis opus aſſurgit; ita locata, ut eam qui teneret, oppidum ipſum ſine dubio teneret. Exſtructa ea eſt à Siccone Siarda, Sciringiorum tota regione quondam Principe, ante annos ducentos. A Saxoniæ Ducibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

ante tempora Caroli V. inhabitatam narrant: quorum etiam inſignia ad portam, qua ex urbe Leovvardiana fit introitus, conſpiciuntur. Albertus enim & filius ejus Georgius Saxoniæ Duces Friſiam nomine *Poteſtatis* per aliquod tempus rexerunt. quorum hic poſterior cum plenum dominii ſui jus, id quod & Patri acciderat, quamvis adniteretur maxime, conſequi non poſſet: jus omne ſuum dignitatemque in Carolum V. Cæſarem Burgundiæ Belgiique Principem contulit, ac ipſe in Saxoniam receſſit.

Condita traditur Franekera anno æræ Chriſtianæ 1191, imperante in Germania & Italia Henrico VI. Friderici I. filio.

Athenæum publicum in hoc oppido inſtitutum eſt auſpiciis Illuſtr. Ordd. Friſiæ, A. Chr. 1585. Cujus Doctores hodie clari ſunt: Pierius Winſemius J. C. & hiſtoricus Friſiæ, Georg. Paſor, Juſtus Reifenberg J. C. Adrianus Metius, Sixtus Amama.

Bibliotheca etiam peregrinis monſtrari ſolet.

HARLINGA.

Olim *Almenum* dicta, urbs ſplendida more iſtius terræ, ac nunc civitatum hujus provinciæ poſt Leovvardiam metropolin maxi-

maxima, populoſiſſima, ditiſſima; adſidet litori maris occidui: & portus ac ſtatio eſt multarum navium, quæ ex variis locis appellunt.

Arcem illic vallo & foſſa munitam & opere lateritio validam ſtruxere Groningani in Auſtrino oppidi latere, A. 1496. Quadriennio poſt Albertus Saxo, qui anno priore ex Hollandia iſtuc appulerat, ibique primum pedem poſuerat in Friſia, abſens per filium, aliam multo validiorem ac majorem in litore ibidem condidit: quam *Caſtellum* appellarunt. Quæ velut frænum fuit oræ illi impoſitum: integrataque ſæpe, & majoribus operibus ornata & firmata duravit ad ultima uſque Principatus tempora: cum cujus fine ipſa quoque à populo capta & magnam partem ſolo æquata eſt, frænumque hoc oppido ac toti viciniæ demptum.

Initium munitionum oppidum ambientium ignoratur. Creditur tamen non admodum vetuſtum eſſe. Oppidum ipſum ampliatum ob hominum iſtuc confluentium copiam A. 1443. & nova rurſum acceſſione auctum A. 1579. & eo, qui proxime eſt ſecutus; conſilio & ſtudio Opt. Max. Guilhelmi Naſſovii, Principis Aurantii: cui mens erat, non ſolum rerum maritimarum emporium nobilius illic Friſiis aperire, ſed etiam per hunc locum maxime idoneum Hol-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Hollandiam arctius cum Friſia conjungere, ac *portum* eum immittendis in regionem exercitibus contra Hiſpanos in poteſtate habere. Ideo ingens *vallum* terreum, cum lata profundaque foſſa, & octo propugnaculis, ampliato oppido circumductum, & Almenum totum (qui vicus celebris oppido proxime admotus fuit) ambitu novarum munitionum comprehenſum, oppidoque additum. Nec hic modus hujus rei ſtetit: ſed creſcentibus negotiis, creſcente fortuna ac populo, A. 1597, rurſum mœnia prolata, ſpatiumque negotiis & opificiis laxius apertum; *navalia* recipiendis pluribus navibus hyemandi cauſa duplicata, reliquiæ *arcis* mœnibus incluſæ, portus majoribus operibus inſtructus, oppidum in eam formam redactum, ut jam quarta ſui parte à mari alluatur.

WORCUMUM ET HINDELOPA.

Aditæ quidem mihi; ſed nihil legentium oculis aut auribus dignum heic occurrit: itaque propero ad urbem, quæ dicitur

STAVRIA.

Hæc totius Friſiæ (ſi fabuloſis commentariis hominum vanorum credimus) antiquiſſima; quippe condita A. poſt N. C. primo: ac non tantum metropolis & ſedes REGNI; ſed & Emporium totius Belgii Germaniæque ampliſſimum ac celeberrimum olim fuit. Incolæ enim ejus, quod ante ipſos fecerat nemo, Zontam Daniæ fretum primi tranſmiſerunt, & ita varii generis merces ex Aquilone in terras Auſtrales deportarunt, lucro ſuo maximo, quod & in tantam opum vim atque affluentiam excrevit, ut poſtes eorum auro cælatos fuiſſe memoria traditum ſit, referente *Martino Hamconio* in Præfatione ſuæ Friſiæ ad Sereniſſ. Albertum Auſtrium. Nec ea mari ſolum tam longe lateque floruit ac ſuperbivit, ſed & terra per Rheni brachia imperium ac vires ſuas Noviomagum uſque prolatavit: id quod duæ inſcriptiones in lapide vetuſto ad portam Neomagi primariam Heſelanam, vulgo *die Heſelpoort*, ſatis evincunt. In altero enim ſaxo ſic exſtat:

HUC USQUE JUS STAVRIÆ.

In altero:

HIC EST PES IMPERII.

Sed ut omnium quæ ſub ſole ſunt, viciſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

ſitudo eſſe ſolet, & res in altum nimis evectas haud ſegni pede occaſus plerumque ac ruina ſequitur, ſic & huic oppido

Venit ſumma dies & ineluctabile fatum.

Cum enim, ut ajunt, nauta quidam triticum è mari Baltico, aut locis remotioribus advexiſſet, faſtuoſa autem mulier, an uxor ejus, incertum, mercium pretioſiorum deſiderio ac cupidine flagrans, fruges illas in portum Flevumve exonerari juſſiſſet, fortuna Dea urbi Stavriæ non adſtitit amplius, ſed quo fluxu acceſſerat, eo ut ita dixerim refluxu iterum deceſſit, tritico in Syrtim ſeu cumulum arenoſum (qui & hodie fortaſſis *het Vrouwen ſandt* vocatur) divinitus converſo; aut ex arenis fluctuum vi agitatis pulvino ſenſim collecto. Unde & portus ipſe paulatim oppilatus, nautas & mercatores primum Campos, Amſtelodamum poſtea, ut novas ibi fortunarum ſuarum ſedes ac ſtationes figerent, compulit. Ita, inquam, factum cum tempore, ut portu obturato & corrupto, uſuque maris in arctum redacto, commerciis propere amiſſis, Fortuna, diu Obſequens, tandem Nemeſis, Stavriam reliquerit, atque alio commigrarit, ubi reverentius haberetur, ac Dei beneficium modeſtius agnoſceretur coleretur que.

Fruitur adhuc antiquo jure & privilegio, ut vectigalium in Danico telonio ſolvendo-

rum

rum præferentiam ante omnes habeat. Quod ita memoriæ prodit *Vbbo Emmius*, ſingulare Patriæ ſuæ ornamentum: *Retinet*, inquit, *oppidum locum & jus in ſocietatem civitatum Anſeaticarum, in qua olim primas habebatur. Cujus hoc indicium etiam nunc ſupereſt, quod in Helleſponto Danico cum navitæ, quorum magna multitudo ſæpe illic hæret, expediri ſe à regiis præfectis petunt, nulli impetrare ex more id liceat ante Staveranos.*

Arx quoque olim Stavriæ inſignis valde ac valida, Regum ſedes exſtitit, portui maris imminens, cujus fundamenta jacta fuerant à Georgio Schenck Friſiæ Gubernatore, juſſu Imperatorio Caroli V. An. 1522. Sed hodie ſic collapſam videmus, ut vix ejus rudera appareant.

Fabuloſum Etymon urbis à Jove Stavone (ſive Stavus ſit) derivant, veteri incolarum Deo, cui & templum erexerint; quippe quem cum Foſta (ſic Martem, Veſtamve appellabant) præ reliquis olim Diis Friſii maxime colebant.

Sed me heic opportune admonet Cl. & Doctiſſimus vir *P. Scriverius*, nec Stavriæ eam hæreditatis gloriam cernere permittit, qua non mari ſolum tam longe lateque imperitarit, ſed & terra per Rheni brachia imperium ac vires ſuas Neomagum uſque prolatarit;

latarit: Id quod duæ Inſcriptiones Reomagenſes ad portam Heſelanam evincere videntur: ſed videntur tantum. Quarum una præfert,

HVCVSQUE jus STAVRIÆ.

Nam *Stavria* heic non eſt Friſiæ oppidum *Staveren*, ſed *exactionem ac tributum* ſignificat. Idem quod *Stevra*. Chronica Aulæ Regiæ de Johanne Rege Bohemiæ, cap. XXVII. *Interea vero Rex exercitum congregat, & ad bella ſe coaptat; generalem Stevram, qua Berna dicitur, Rex ab omnibus recipit; & ſuper hoc exactiones clauſtralibus & civitatibus graviſſimas imponit.* Æneas Sylvius, qui poſtea Pius II. Pontif. Max. Hiſtoria Bohemica, cap. LXI. *Mos eſt Auſtralibus, quoties repentina Principi neceſſitas ingruit, ex ſubditis pro modo facultatum pecuniam exigere, quam vocant Stevram.* Hodieque *Turken-ſtaur*, id eſt *collectam adverſus Turcam*, apud Germanos, præſertim interiores, in uſu remanet. Ita ut à *Staur Stauria* vocabulum Latina flexione formatum ſit. In legibus etiam Francorum tolonii fit mentio quod *Strat-ſturam*, id eſt, *contributionem ad viarum inſeſſores compeſcendos*, vulgo vocabant. Igitur Francorum palatium & regnum præcipue Neomagi ſtetiſſe loquitur lapis, modo ex Scriveriana ſententia recte interpretemur. Vult enim dicere, colla-

collationum ac contributionum Imperii nomine exigendarum Neomagi terminum conſtitutum; pedemque ibi Romani Imperii. Eſt & area extra mœnia, quæ vulgo *den Romſchen voet, pes Romanus* indigitatur. Qua elegantiſſima obſervatione, falſam atque ineptam opinionem de Stavriæ oppidi ad Neomagum uſque imperio, longa de Radbodo rege allata hiſtoriæ Iliade, manifeſto redargui & convelli, luce meridiana clarius. Atque hanc veram ac genuinam interpretationem cenſet & ad auctorem *P.* Scriverium refert V. C. *Ioh. Iſaacius Pontanus*, Animadverſionibus ad Bataviam Hamerodii. Cætera fabulis plena. Interim videatur *Vbbo Emmius* Rerum Friſicarum Hiſtoriæ lib. IV. initio. Cujus honori heic attexere placuit, cum alibi non legatur, id quod diu amiſſum caſu neſcio quo in manus meas pervenit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

PETRI SCRIVERII ELEGIDION

Ad Virum Clariſſimum

UBBONEM EMMIUM, Friſ.

Hiſtoriæ patriæ principem.

Adverſus fabularores & aretalogos populares, qui inſigni audacia an furore, originem gentis ex India ab ævo uſque Alexandri Magni, atque ex Perſia petere non dubitarunt.

Eſſe quid hoc dicam? tibi debita fama negatur,
Vbbo? tibi, patriæ quem voco jure patrem?
Nam ſine te (verum teſtor) vir magne fuiſſet,
De Friſiis vanum jam legeretur opus:
Iam Suffridæis premerentur noſtra Chimæris
Pulpita: jam monſtris omnia plena forent:
Et mera ſpirarent Friſii mendacia folles;
Municipes quivis ut Iovis eſſe putet:
Geſtaque majorum denſa ſub nocte laterent;
Et ſpurius tantum Phryx in honore foret.
Sero Phryges ſapiunt. atqui ſapientia prima,
Cum Phrygibus Friſii ſi ſapiamus, erit.
Credimus Alvini rhythmis. ô pectora cæca!
Credimus Occoni, Scarla minuta, tuo.

Cre-

Credulus & noſtras vellit Furmerius aures,
Qui Friſio priſcis expulit orbe Phrygas:
Scilicet à Perſa Freſone vocabula gentis
Nata. novũ patriæ nunc dedit ille ducem;
Seu potius totam qui nomine Principis aulam
Impleat, & prima conſecret æde Stavum;
Vnde tibi fama eſt veniſſe Staveria nomen.
Signavit terras ſic dea Feſta novas.
Pro pudor! Herois ſic nugas inſerit actis;
Tapponemque audax & nova monſtra facit.
Tapponem, non quem docto ciet ore Catullus,
Sed quem Parrhaſiam vult coluiſſe domum
Romanaſque aquilas & Flavia ſigna ſecutum,
Dum movet in torvos belliger arma Dacas.
Quid Suffene! Igitur Latiis annalibus ille
Indictus Princeps tam generoſus erit?
Nullane Dibbaldi quoque mentio facta Segonis,
Cum ſit Verriti cum Malorige ſuo?
Præteritoſque alios coges nos credere reges,
Queis auctum Annales te juvat ire tuos!
Dic mihi, quis Saxo, cui nomen Saxonis oræ
Debeat: aut Brunus quis ſit, & unde domo;
Traxerit unde ſuum celebris Brunſvigia nomen?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Credemus fratres, Friſo, fuiſſe tuos!
Iam tuus è Gailone nepos nova gloria Grunus
An Groningani nominis auctor erit?
Sic viſum vulgo, atque ipſi majoris abollæ
Suffrido. Ah! quam non hoc placuiſſe velim?
Cur non his potius grunniſſe Elpenora terris
Fingit, Vlyſſæum vel ſtabulaſſe pecus?
Non apinis forſan, triciſque hoc vilius eſſet,
Quas promit larga Barbarus ille manu.
Quiſquilias tamen has, tamen hæc ſua ſcruta popello
Vendit, & Hiſtorici munere lætus ovat.
Sparge puer flores, amaranthæaſque corollas:
I puer: ad portas Livius alter adeſt.
Neſcio quid majus Tacito nunc naſcitur Orbi;
Nam quis Cappido ſe volet eſſe parem?
Nil aliud loquitur vulgus, Suffridaque laudans
Somnia, jam Criſpos Thucydidaſque crepat.
At peram! ſi ſit dignus præſtare matellam
Cappidus Tacito, treſſis agaſo Deo.
Quid ſimile eſt Douſa & Snoius? Suffridus & Vbbo?
Ad magnum Æmilium tu Mamerane quid es?
Quid Iovis in menſa fabrorum prandia betæ,
Ponit ubi ambroſias dîa Iuventa dapes?
Atque ubi ſe ſuperi perfundunt nectare vivo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Quid facit extincti perfida vappa cadi?
Ringuntur docti; tamen hac ſapientia vulgi
Obtinet; ordo omnis tam populare ſapit,
Tam fatuo guſtu eſt; verum ut diſcernere falſo
Neſciat. ô caſſo lumine corpus iners!
Sed queis judicium, queis eſt mens ſana, pudorque,
Lectores libris det Deus, Vbbo, tuis,
Qui pretium faciant, cedroque & murice donent.
Abſtineat ſcabras cætera turba manus.
Ante focum pueris veterum deliria nutrix
Narret, & Occonem garrula laudet anus.
Te gravis æterna commendet voce Thuanus,
Noſter & ingenti Grotius ore legat.
Me quoque mirantem generoſi fulmina verè
Devinctum ſancto pignore pectus habe.
Sit licet inventus glandes qui quærat ariſtis,
Præferat Hyblæis Corſica mella favis;
Haud ego tam demens, (nec ſiverit optimus ille
Iuppiter) hos canos juro, tuamque Fidem.
Cui ſi præferri mendacia putida cernes,
Stultitiam vulgi ride, jocumque puta:
Aut vitium ſecli. quo vivis fama negatur,
Et ſua jam rarus tempora lector amet.
Emmiades quare ne feſtinate libelli,
Certus ab auctoris funere ſurget honos.

Raptim xv Novemb. 1616.

ITER HOLLANDICUM.

ENGHUSA.

Propugnaculum eſt Bataviæ Borealis. Multæ naves, uti & Hornæ, ibi ædificantur. Nos unam vidimus, quam Rex Galliarum ingenti pretio exſtrui curarat. Deaurata erat pro XVIII. millibus plus minus florenorum.

Ocellum urbis illic ſalutavimus *Bernhardum Paludanum* Medicum, qui, ut eſt vir humaniſſimus, τεχνημάτοφυλάκιον ſeu Pinacothecam ſuam nobis aperuit, in qua credo res utriuſque Indiæ, Indiæ autem? immo totius orbis rariores omnes videri poſſe: ita ut non abs re Nobiliſſ. vir Hippolytus à Collibus, dum hæc Admiranda aliquando pelluſtraret, in hoc elogium eruperit:

Quod mare, quod tellus, quod totus denique mundus,
Vna Paludani continet iſta domus.

Nec à vero abludit Tobias de Schvvanenſche ac Bregoſchutz, cognomento Scultetus, olim dum vixit

—præſidium & dulce decus meum.

Sic autem ille:

Orbe novo & veteri rarum ac mirabile quidquid

Dat natura parens, artificiſve labor;
Vna Paludani domus exhibet ingeniumq;
Sublime, ac ſtudium teſtificatur heri.

Eſt & aliud cujuſdam:

Quidquid terra ſinu veniſque recondidit imis,
Theſauros Orbis hæc brevis arca tenet.
Laus magna eſt tacitas naturæ inquirere vires,
Major in hoc ipſum munere noſſe Deum.

Sed tot ac talium habere memoriam, divinitatis potius ſit, quam mortalitatis: nonnulla ſaltem, quæ dum animo inhærere videntur, λόγȣ χάριν heic notare liceat:

Veſtes & inſtrumenta militaria *ferme omnia Amazonum.*
Membra ceti ſeu balenæ ferme omnia.
Patinæ ex ejus genitali affabrefacta.
Mumia à tribus mille annis adſervata.
Mumia 2400. annis adſervata
Cadaver viri quod per annos 300 non contabuit.
Veſtes Pygmæorum.
Navis qua Pygmæi utuntur.
Bitumen Sodomæ & Gomorrhæ.
Siclus Iudaicus, moneta veterum Hebræorum.
Vaſa plurima terræ Lemniæ ſeu ſigillatæ.
Baſiliſcus.
Crocodilus.

Stellio piſcis, lacertæ non abſimilis.

Cutem ſingulis annis exutam protinus abſumit, ut præripiat homini præſentiſſimum comitialis morbi remedium. Ab hujus animantis fraude *Stellionatus crimen* dicitur, de quo in libris I C.

Monachus marinus.

Chamæleon animal, ex ſolo aëre vitam ſuſtinens. Quod ſibi per dies aliquot vivum adfuiſſe dicebat D. Paludanus, inque colores omnes ſe tranſmutaſſe, rubro & candido exceptis.

Salamandra ex igne }
Stincus ex aqua } *vivens.*

Remora piſcis exiguus, ſed admirandi roboris. De hoc Plinius lib. 32. c. 1. *Ruant venti licet, & ſæviant procellæ, imperat furori, vireſque tantas compeſcit, & cogit ſtare navigia, quod non ulla poſſunt vincula, non anchoræ irrevocabili pondere jactæ.*

Lagena vitæ }
Lagena mortis } *Herbæ.*

Sal etiam optimum Enchuſæ coquitur, ejuſque *Salinæ* celebrantur.

H O R N A.

Nonnullis *Cornucopiæ* dicitur (*den Hoorn van overvloet*) ob rerum, præſertim annonæ, adfluentiam. Patria eſt *Hadriani*

Iunii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Iunii, Medici illius & Hiſtorici clariſſimi.

Inde per BEMPSTERUM conceſſi, campum ſpatio ſeptem leucarum fertiliſſimum, qui antea tot milliarium lacus fuit. Quo exemplo Galliarum Rex Henricus IV. Hollandis quibuſdam permiſit prope Rupellam haut exiguum terræ ambitum eluvie marina obtectum induſtria ſua ab undis liberare, & frugibus ferundis paſcuiſque idoneum reddere. Quod territorium vulgo *Parvam Hollandiam* vocant.

Bempſtero PURMERENDAM veni, & abhinc navicula, gubernatore ejus ad ripam eunte, illamque ſic propellente, per WATERLANDIAM provectus ſum ad aggerem ulteriorem, ubi brachium maris lembo tranſmiſi, & ita veni vidi

AMSTELODAMUM.

Hæc ab amne Amſtela & Teutonico *dam*, id eſt, *aggere*, nomen habet, paucis initio piſcatorum tuguriis habitata. Fuit ſub jurisdictione illuſtrium Dominorum de Amſtel, donec poſtea Giſelbertus Amſtelius ante annos 300 ac præterpropter eam mœnibus, portis ac turribus communiri fecit: ſed poſtea nimium quantum prolata pomœria: & creſcentibus quaquaverſum in omnes orbis partes negotiis, creſcente

fortuna ac populo, ampliatum aliquoties oppidum: ut hodie ſit optima maxima Hollandiæ Civitas, & florentiſſimum emporium cum paucis in terrarum orbe æquandum. Nitida admodum eſt, qua publicis qua privatis ædificiis.

Publica hæc ſunt quæ vulgo peregrinis oſtentari ſolent.

I. In *templo*, quod vocant, *antiquo*, *de oude kerck*, eminet *Epitaphium Iacobi Heemskerckl* Ducis & Thalaſſiarchæ Ordinum Belgii fœderati. & illud ſic exſtat:

HONORI ET ÆTERNITATI.
IACOBO AB HEEMSKERCK
AMSTELREDAMENSI.

Viro fortiſ. & optime de Patria merito.

QVI

Poſt varias in notas ignotaſque oras navigationes, in Novam Zemblam ſub polo Arctico duas, in Indiam Orientalem verſus Antarcticum totidem. Indeque opimis ſpoliis A. cIↄ Iↄ CIV. *reverſus victor.*

TANDEM

Expeditionis maritimæ adverſus Hiſpan. præfectus eorundem validam claſſem Herculeo auſu aggreſſus in Freto Herculeo ſub ipſa arce & urbe Gibraltar VII. *Kal. Maii* A. cIↄ, Iↄ CVII. *fudit ac profligavit.*

IPSE

IPSE IBIDEM

Pro Patria ſtrenue dimicans glorioſe occubuit anima cœlo gaudet, corpus hoc loco jacet. Have lector, famamque viri ama, & virtutem.

CUJUS ERGO

A B

Illuſtriſſ & Potentiſſ. Fœderat. Provinc. Belgiæ

ORDINIBUS P. P.

H. M. P.

Vixit annos XL. *Menſem* I. *Dies* XII.

Heemskerck die dwars door 't ijs en 't ijſer dorſte ſtreven,
Liet d'eer aen 't lant, hier 't lijf, voor Gibraltar het leven.

II. *Burſa*, ſive ædes ad quotidianum mercatorum conventum ſplendidiſſimæ, in quarum ſuperiori contignatione nihil non venale proſtat.

III. *Ergaſterium* coërcendæ laſciviæ ac petulantiæ maſculorum. *Het Tucht-huys, of Raſpelhuys.* Ejus Inſcriptio: VIRTUTIS EST DOMARE, QUÆ CUNCTI PAVENT. Ex Seneca Tragico.

IV. Al-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

IV. *Alterum* pro feminis ſequioris vitæ. *Het Spin-huys.*

V. *Orphanotrophium* pro utroque ſexu. *Het VVees-huys.*

VI. Ξενοδοχεῖον, domus pro peregrinis morbo infectis. *Het Gaſthuys.*

VII. Γεροντοτροφεῖον, Ædes pro ſenioribus & qui victui amplius quærendo inidonei ſunt. *Het Mannen-huys.* Quod vere *Pauperum Palatium* dici poteſt.

VIII. *Ædes pro deliris* utriuſque ſexus, *Het Dol-huys.*

IX. *Domus Indiæ Orientalis*, in quam merces ex Indiis advectæ importantur.

X. *Domus Indiæ Occidentalis*, in quam merces ex India Occidentali importantur.

XI. *Domus Organica*, in qua varios concentus Muſicos & ſuaviludios ſingulis diebus audire, quin & omnis generis inſtrumenta Muſica in vulgus non adeo nota videre licet. Autor & director horum ludorum, qui etiam hodie vivit, eſt *Ioannes Antonides* Alcmarianus, à quo, cum ſectæ Mennoniſticæ eſſet addictus, taberna illa vulgo nuncupatur *in de Menniſten Bruyloft*, ſeu, ut ipſe hoſpes appellat, *in d'Os in de Bruyloft*; vel *'t Huys te ſinne-luſt.* Ipſe nuper hoc elogium, an Symbolum, ſuæ domus recenſuit:

Heel

Heel boven op dit Huys, is't als een Para-
dijs,
Daer is Fonteyngeruys, Snaer, Pijpen,
ſoet gekrijs.
Begeer g'in't huys te gaen, te hooren en te
ſien,
Soo toont uw' mildigheyt, tot onderhout
van dien.

Amſtelodamo iter dirigi poteſt, quocunque lubitum. Ego ordine reliquas Hollandiæ civitates enumerabo, ad quas venire & viſere contigit.

ALCMARIA.

Nomen urbi inditum volunt à copia lacuum, quibus undique cingitur, & quorum xv recenſent, quaſi *Al-meer*. Condita primum fertur ab Adgillo ſeu Aldegildo Rege Friſiæ circa A. C. 720. qui illam quoque hoc nomine, quo jam gaudet, primum ornavit, cum antea diceretur *Altena*, ex verbis magni cujuſdam Principis Veronenſis. Hic enim cum poſt dirutam *Veronam* novæ urbis mœnia locaſſet, & in vallo aliquando obambularet; magnam hominum multitudinem advenientium conſpicatus, qui & undenam illi eſſent, percontabatur. Reſponſum Principi, Veronenſes illos; qui ob miſerabile fatum urbis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

bis novas ſedes quærere cogantur: precibus admotis, ut liceat illis permiſſu principali domos iſthic figere, ſemina arvis inferre, atque patrium ſolum exercere. Ad hoc ille inquit: *'tis alte na.* Quod ab audientibus obſervatum, & nomen inde civitati tributum. Ex quo ſententia eorum confirmatur, qui Alcmariam ex ruinis *Veronæ* natam aſſerunt, ampliſſimæ quondam ac opulentiſſimæ urbis, ſed quæ exciſa poſtmodum ac ſubverſa funditus à Joanne Comite Hannoniæ, Anno quem Eteoſtichon hoc indicat,

eCCe CaDIt Mater frIsIæ.

Campos ubi VERONA fuit, cernere licet paulum ultra mille paſſus ab urbe Alcmaria, qui & nomen hactenus retinuere *Vroonlant.*

Qualis autem hodie ſit ALCMARIÆ facies, compendio quodam iſti verſus declarant, quos ex Typographiæ quadam tabula deſcripſimus:

Hæc illa Alcmaria eſt lacubus prælustris amœnis,
Quam virtus celebrem facit orbi.
Structuris ornata, ſitu jucunda ſalubri,
Phœbo ſacra ſacraque Dianæ.
Paſcua quam cingunt, grato & pomaria fructu
Atque aptanda trionibus arva.
Invictis invicta viris hic agmina quondam.

Bel-

Bellaces poſuere Batavi.
Hic Friſiæ fulſere acies, pulſaque phalanges
Iudorum domitoris & Aphrum.

Quibus laudibus merito adjungi debet, quod illa magnorum virorum urbs natalis & mater exiſtat. Dedit enim nobis *Cornelium van Drebbel*, peritiſſimum Naturæ myſtam & amaſium, qui jam Londini apud Britannos agit: *Petr. Foreſtum* Medicum celeberrimum, *Petr. Nannium*, *Adreanum Metium* jam Profeſſorem Franekeræ: alios.

Sed de *Drebbelio* non poſſum, quin heic apponam, quod ipſe ad amicum ſuum Iſebrandum à Rietvvijck ante paucos annos Alcmariam litteris perſcripſit. Quas è ſermone Belgico, quo ille utitur, in Latinum κατὰ πόδα fideliſſime tranſtuli, lectu ut arbitror haut injucundas, ex queis & viri circa res naturales peritia magis emineat, admiranda cunctis, æmulanda forte nemini. Præterquam enim quod *Motus perpetui* autor ſit, & iſta non ſine omnium ſtupore ac miraculo efficere poteſt. Sic autem ſcribit ille *Protheus*:

Ego in camera manifeſte ſedeo ſolus, nemine mihi adſiſtente. Et primo veſtitum meum transformo in præſentia & adſpectu illorum omnium, qui in cubiculo ſunt. Nunc induor totus nigro holoſerico, & momenti ſpatio,

immo tam confeſtim, quã aliquis cogitatione aſſequi poſſit, holoſerico viridi ac rubro amictus ſum, in colores omnes mundi me tranſmutans. Nec ſolum hoc, ſed commuto meam veſtem cum qualibet ſpecie pannorum, quæ ipſemet volo: nunc bombycina ſeu ſericea colorum omnium, tum ex villis texta omnium colorum: nunc argento, nunc auro variegatis veſtibus utor: nunc Regio ornatu, & adamante ac omni gemmarum ſpecie ſum ſplendidus, at in momento poſtea mendici habitum aſſumo, pannis obſitus ac deformis: cum in illo actu unicam duntaxat veſtem habeã, quam abs me non depono. Præterea converto memet in arborem naturalem, contra quam aliter aliquis animadvertere queat, folia hinc inde motantem, quaſi vento agitaretur. Nec ſolum in formam arboris, ſed in omnia genera arborũ, prout mihi placuerit. Poſtea formam mutuor cujuslibet rei creatæ, quamcunque cupio, ut jam muter in leonem, jam in urſum, jam in equum, in vaccam, in ovem, in vitulum, in porcum &c. Et præter hæc apparere facio, quaſi terra aperiretur, & ſpiritus ex ea provenirent: primum in forma nubis, & poſtea ſe vertentes in aliam ſpeciem, quam illis impero, & uti quæque bona mihi videtur, ut in perſonam Alexandri M. vel alterius Principis aut Regis pro arbitratu meo. Quin & hoc exhibeo, ut Gigantes veteri ævo cogni-

cogniti ex terra prodire videantur, viginti ac triginta pedum longitudinem exæquantes, qui tam miris modis ac ea perfectitudine corporis ſui membra librent ac moveant, quaſi naturaliter viventes. Atque hæc omnia in medium produco nova inventione, quam beneficio Opticæ excogitavi, cujus vires mirabiles ac pulcherrimæ præſtari poſſunt, quæ longum heic memorare foret, de quibus alio tempore plenius &c.

Templum viſu non indignum eſt; cujus ſtructuram & progreſſum Ode hæc Alcaica tabulæ inſcripta edocet:

Memoriale hujus templi.

Hic fana quondam Diis patriis ſacra
Struxit vetuſtas, ſollicito pecus
Cædente votivum colono;
Vt veteres meminere faſti.
At delibuta ſanguine victimæ
Inſontis agni protinus impias
Delevit aras, cum prophano
Inferias celebrante myſta.
Ædemque Chriſti cultibus unici
Partæ ſalutis arbitri idoneam
Devotio Laurentianis
Poſtera martyriis dicavit.
Quæ Friſiorum (nam nihil arduum
Sanctumve Marti) ſæpe voracibus

Sub-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Subjecta flammis, heu nephas, heu
In cineres abiit ſolutos.
Sed reſtitutæ contiguum modo
In ſancti honorem limen Apoſtoli
Junctum Matthiæ eſt, qua procellas
Imbrifero vomit Auſter ore.
Hinc ſemper, alta ut præcipiti ſolent
Librare caſu, nobilis impetu
Divulſa templo antiquiori
Preſſit humum crepitante turris.
Demumque edaci temporis orbita
Rotante verſas ſuſque ſecus vias
Hoc pro ruinoſis ſacellis
E ſolido poſtium lacunar
Saxo columnis perſpicuum arduis
Cœloque picto ſerviat ut ſacræ
Rerum creatoris tiaræ:
Magnifici arbitrio ſenatus.

A. 1605. 4. Maii.

Conſpiciuntur in templo:

1. Elegantiſſima *Pictura* 7 operum Miſericordiæ, pro qua Pontificii Boſcuduci (*tot 'sHertogenboſch*) aliquot centum thaleros obtulere.

2. In fornice templi *Imago extremi judicii*, coloribus aqua permiſtis graphice depicta.

3. *Monumentum Florentii* Comitis Hollandiæ, ejuſque Epigraphe in prægrandi ſaxo

ſaxo litteris antiquis: *Hier onder iſt inghevvant van Graef Floris van Hollant, verſlagen vvordt van H. Gerrit van Velſen.*

4. *Tumulus P. Foreſti* Medici:

eVICtVS fato CVbat haC sVb MoLe foreſt Vs:
HIppoCrates BataVIs sI fVIt; ILLe fVIt.

HARLEMUM.

Urbs inter primas Hollandiæ, ſi ornatum ædificiorum, ſi incolarum genium attendas. De hac inter ſcriptores omnes convenit, eam nominis ſui auſpicium traxiſſe à Lemo ſeu Guilhelmo, ſecundo Friſiæ Occidentalis Rege, ut primum *Heer-Leems* (ſive *VVillems*) *Stadt*, hoc eſt, domini Lemi civitas, poſtea *Haerlem* dicta fuerit. Sita eſt loco ſalubri ac jucundiſſimo; quippe ſtatim urbem egreſſis occurrit nemus valde amœnum, civium deambulationibus, deliciis, & exercitiis dicatum.

Templum habet totius Hollandiæ ſpatioſiſſimum ac pulcherrimum, firmiſſimis innixum columnis. Hoc D. Bavoni ſacrum, & κατ' ἐξοχὴν templum magnum vocant. In eo hæc Epitaphia conſpiciuntur:

1. IOH. WOLEIO VIRO PIENTISS. QVOD SIBI ET IACOBINÆ DE PITTE XII. LVCINAM EXPERTÆ CVM QVA VIXIT SINE MACVLA AN. XXIII. ET MÆRIÆ DOMINI CL. F. CVM QVA VIXIT AN. XV. VXORIBVS SVIS OPT. SANCTISS. TESTAMENTO FIERI CVRAVERAT LIBERI HÆREDES PARENTIBVS SVIS BENE DE SE MERITIS MONVMENTVM EX VOLVNTATE FECERVNT QVI OBIIT AN. CIↃ IↃ IV SEPT. XVII. ÆTAT. LXIII.

NOSCE TEIPSUM.

Subſiſte quiſquis hoſpes hoc ſaxum vides
Piis dicatum manibus parentium,
Heu ſæva fati quos tulit neceſſitas!
Iacent ſub uno conjuges hoc marmore,
Quos una fax, & una mens, & copula
Iunxit jugales, frigidus claudit thorus.
Mortalitatis diſce nunc legem tuæ,
Quam lucis author, mortis arbiter dedit.

2. GRAF-SCHRIFT

Van Guillaume de Key. ſtarf
den 16. Octob. 1624.

Hier leyt de Vrome Key een deugds Patroon
begraven;
Een man van raed en daad, van ſonder-
linge gaven,

Der Armen hoofd en trooſt, verſtandig, en beleefd;
VVaer aen ſo menig menſch ſo veel verloren heeft.

3. Epitaphium Cornelii Sehonæi Goudani Gymnaſiarchæ Harlemenſis ad annos 36. Scripſit Comœdias ſacras ad imitationem & ſimilitudinem Terentii: Unde vulgo Terentius Chriſtianus dicitur.

EPITAPHIUM.

RECTOR *juventæ, Muſici ductor gregis*
SCHONÆUS *egi fabulam fictam prius:*
Veram peregi: ſummus hic actus mihi.
Scenam relinquo. Vos valete & plaudite.
Obiit Anno cIɔ Iɔc. XI. *Novemb.* XXXIII. Ætat. 71.

4. MEMORIÆ SACRUM.

AGATHA HADRIANI HORNANI F. CONIVGI BENE MERENTI D. NICOLAO VANDER LEVR OMNIBVS HONORIBVS MILITARIBVS DEFVNCTO CVM QVO VIXIT SINE MACVLA ET QVERELA ANN. XXVIII. LVGENS MOERENSQVE POSVIT.

Arma

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Arma puer geſſi primis inglorius annis,
Sed peperit nomen dextra fideſque mihi.
Luſtra decem implevi: Dux & virtute Tribunus
Glorior Oſtendæ ſic potuiſſe mori.

ICTUS TORMENTO ÆNEO OCCUBUIT AN. cIↄ Iↄ C.II. VII. ID. JAN.

Tumulum. marito. condidi. quo cum. tegor. una. ſub. urna. Conjuges. quieſcimus. miſcemus. oſſa. mixtus eſt. cineri. cinis. Hæc. ſumma. lex:. eſt. Funeri. ſi. quis. tamen. Amor ſuperſtes. quæret. in. cœlo. locum.

5. A. XV^c. LXIX.

Den XXIV. *Iulii is hier begraven Ermgardt Coenraedts Dochter.*

INGENIO COMIS, DEMISSA, ET PACIFICATRIX.
HEV NIMIVM CRVDO RAPTA PVERPERIO.

Den XXIX *Decembris worde Pieter Ianſz. Roedt hier begraven.*

qVa ferVs InnoCVos IVgVLarat LVCe pueLLos
reX, heV fataLIS LVXIt & Ipſa MIhI.

6. D. O. M.

SORORIBVS DVLCISS. AGATHÆ ET GEERTRV-

TRUDI VAN VEEN QUÆ APOSTOLI SECUTÆ CONSILIUM PERPETUO CASTE ET BENE HIC VIXERUNT UT IN ÆTERNUM VIVERENT PETRUS ET ISEMBOUDUS VAN VEEN FRA. POSUERUNT. VIXIT UNA AN. LV. OBIIT A. M. VIc. XXIII KAL. NOVEMB. ALTERA AN. XXXIII. OBIIT PRID. ID. MART. A. M. VIC. XXIV. FESTOS. GEERTRUDIS. TU LECTOR FAVE ET SI POTES AC PLACET SEQUERE.

7. *Laet lopen die lopen luſte,*
Onſe tijt is verlopen, wy leggen hier in ruſte.
Cui & iſtud concinit:

8. *Laet ygelick vry lopen*
Die lopens luſt.
Mijn tijt is verlopen,
Ick leg in ruſt.

9. D. O. M.
MARIÆ GULIELMÆ CÆSARINÆ
PUDICITIÆ MODESTIÆQ. UNICO
EXEMPLO CONIUGI AMANTISS.
HADRIANUS IUNIUS MEDICUS AD POSTEROR. MEMORIAM MOESTISS. P.C.

Vltima in Auguſti rupta eſt ſpes unica nobis
Conjunx: ah propera ſors truculenta necis.

Exſtat etiam vitreæ feneſtræ hujus templi inſcripta memoria ſeditionis, quam Caſenbrotii excitarunt.

Als

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Als men negentig twee, duyſend vierhonderd teld',
Den derden Mey oock me, ſijn haeſtig met geweld
De poorten van Haerlem oproerig opgeſlagen
Van't Kaſen-broods volck ſtout
Dat uyt Noord-Holland quam.
't VVelk Klaes van Ruyven Schout
Haeſt met ſijn dood vernam.
VVaer af van ouds dit glas ons ſeker deed gewagen.

Cœmiterio juxta forum piſcatorium hi verſus adſcripti:

De Dood waerachtigh
VVeeſt dit indachtig
Een doorgang is
Tot God Almachtig,
VVeeſt niet vveerſchlachtig
Dit gaet gevvis.

Cæterum Harlemenſes duarum ſibi rerum gloriam præcipue arrogant. Unum eſt, quod aliquando cum Frederico Barbaroſſa adverſus Saracenos expeditionem ſuſceperint, & *Peluſium* in extremis finibus Ægypti urbem; quam idcirco Suidas Ægypti clavem nominat, hodie autem Damiatam vocant, occuparint: novo ſane ac mirabili ſtratagemate, dum nimirum ſerras carinis ſeu imis navium trabibus adaptarunt, & il-

larum

larum beneficio catenas portubus occludendis deſtinatas diſſecuerunt. Cujus rei memoriæ ſempiternæ inſtitutum putat *Hadr. Iunius*, moremque per manus quaſi in hanc uſque diem traditum, ut Harlemæa pubes Cal. Januar. naviculas ſerratis proris inſtructas, imagineſque bacillis ſuffixas tanquam victoriæ argumenta in plateis circumferat. Certioris tamen fidei teſtimonia ſuperſunt *duæ nolæ ſeu tintinnabula ex ære Corinthio*, (*de Damiaetgens* vulgo dictæ) quæ in turri editiſſima templi magni ſuſpenſa arguto tinnitu quotidie circa horam nonam veſpertinam perſtrepunt. Theodorus Schrevelius, Scholæ quondam patriæ, nunc Lugdunenſis Rector clariſſimus, edidit *Trophæum Peluſiacum* Harlemi An. 1598. Ad quod vir ſummæ doctrinæ ac famæ *P. Scriverius* patria Harlemenſis non ſemel in carminibus ſuis alluſit.

Alterum eſt, quod inventionem Typographiæ ſibi vendicent à quodam Laurentio Joannis, cognomento Æedituo, ſeu ut alii, Coſtero, productam circa A. C. 1440. Cui deinde typos & reliqua inſtrumenta ſuffuratus ejus famulus Amſtelodamum primo, inde Coloniam Agrippinenſem, atque hinc Moguntiam profugerit, & eo artem nobiliſſimam ſecum duxerit. Domus Laurentii Coſteri adhuc in foro exſtat, ſub-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

queejus effigie ad exterius faſtigium appicta hæc inſcriptio aureis litteris:

MEMORIÆ SACRUM
TYPOGRAPHIA
ARS ARTIUM OMNIUM
CONSERVATRIX
HIC PRIMUM INVENTA
CIRCA AN. cIↄ CCCC. XL.

Vana quid archetypos & præla MOGUNTIA *jactas?*
HARLEMI *archetypos prælaque nata ſcias.*
Extulit hic, monſtrante Deo, LAURENTIUS *artem.*
Diſſimulare virum hunc, diſſimulare Deum eſt. P. S.

Contra vero multi ſcriptores Germaniæ hoc inventum adſignant, autore Joanne Gottenberg Argentinenſi, qui primus in urbe patria hanc artem impreſſoriam circa A. C. 1440. excogitavit, poſtea Moguntiæ perfecit, quem alii deinde aliis in locis ſecuti. *Beroaldus* in quodam Hendecaſyllabo:

O Germania muneris repertrix,
Quo nil utilius dedit vetuſtas,
Libros ſcribere quæ doces premendo.

Atque ita varie

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Hiſtorici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

Quanquam nuper admodum egregie & fideliter *V. Cl. Petrus Scriverius* artem illam divinam Harlemenſibus ſuis peculiari commentario aſſeruit. Ipſos Germanos in teſtimonium citans, qui illud memoriæ prodiderunt ſub ipſam Typographiæ infantiam. Anonymus namque Auctor Chronici Colonienſis vernaculi (quod ſcriptum editumque eſt anno M.CCCC.XCIX) *VVie vvail,* inquit, *die Kunſt is vonden tzo Mentz, op die vvijſe als dan nu gemeynlich gebruycht vvirt, ſo is doch die eyrſte vurbyldung vonden in Hollant uyſs den Donaten, die da ſelffſt vur der tzijt gedruckt ſijn.* Mariangelus Accurſius, Italus: *Impreſſus eſt hic Donatus,* &c. *primum omnium a.* 1450. *Admonitus certe fuit Ioannes Fauſt, civis Moguntinus, qui primus excogitavit artem typis areis, ex Donato Hollandiæ prius impreſſo in tabula inciſa.*

Typographia Harlemenſis, Palladium, præſidium & tutela Muſarum atque omnis doctrinæ.

Auctore P. SCRIVERIO.

Cum pius ardentes Æneas linqueret arces,
Laomedonteas diſſimulavit opes;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Sacra Lareſque Phrygum potius, Veſtamque
potentem
Abſtulit injecta, pignora cara, manu;
Iliacis erepta rogis. queis maxima Roma
Surgeret, imperii Roma Deumque locus.
Hic ubi ſervavit, flamma populante, Me-
tellus,
Vulcanumqne Sacris juſſit abire ſuis.
Virginibus viſo multum trepidantibus igne,
Summa viro Pallas cura, laborque fuit:
Imperii fatale decus, quodque imputet aſtris:
Quod tibi ſi pereat, Roma; repente cades.
Hoc ſalvo, ſalvi cives, & cætera ſalva.
Tanti pervigiles eſt coluiſſe focos;
Semper & arcanum tanti occultaſſe pudo-
rem
Viſa dea: at magno viſa Metelle tibi.
Palladio noſtram vere aſſimilabimus artem;
Et ſane diæ Pallados inſtar erat.
Inlibata oculis, nullique aſpecta virorum,
Cœperat hic tacita relligione coli,
Pallas; in abſtruſo pignus memorabile tecto.
Eſtque, quod appelles, hic, penetrale ſa-
crum,
Non tamen hoc Signum Troiæ deduxit ad ur-
bem
Dardanus; Iliacus nec tulit inde pater.
Delapſum cœlo (nam tantum numen in ipſo
eſt)
Credimus, & magna parte latere ſui.

Hinc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Hinc Muſis vitæ longævæ cuditur uſus,
Phœboque æternus conciliatur honos.
*Æ*DITVO *ſternente viam, ſic itur ad aſtra.*
Vivitur hoc pacto. cætera mortis erunt.
Hos veri Cuſtodis *erat ſervare Penates:*
Adſuit Autolyci ſed ſcelerata manus.
Vidimus Harlemo transferri pignora Veſtæ,
Atque Mogontiacis Sacra repoſta cadis.
Delubrum vacuum, nudumque altare reliquit
Perfidus, ablatis omnibus ante bonis.
Palladis exſtinctos ſi quis mirabitur ignes,
Ignoſcat: lachrymis ſpargitur ara meis.

EIVSDEM,

DE

LIBRIS SUPPOSITITIIS,

SCAZON.

Ars Harlemæa (*non enim Moguntina*)
Quæ ſic premendo gnava perficit libros,
(Premæne *dicam*, *an* Perficæ *nota, incertum*)
Vt multa noſtro commoda attulit ſeclo,
Et cenſeatur publico bono nata,
Sic & putetur criminum propagatrix.
Produxit aurum diva, ſed trahit feces.
Vt alia omittam hic: eſt avara nonnunquam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Doloſa, vafra, nummi amore correpta;
Vulguſque fallit credulum, ſuo lucro.
Nunc per vetuſtam proſpicit Feneſtellam,
Muſas, Soranos, *fabulaſque* Beroſi
Viterbienſis nocte proſatas Anni.
Mentita Mores *nunc* Catonis *imponit.*
Nunc & videri Naſo *vult Tomitanus,*
Vetulas*que paſcit,* Pulice *excitans doctos.*
Sed bile mota: circuliſque tyronum
Poëta Gallus maximas *agit nugas.*
Partum Nepotis *ſomniare* Cornelii
Devonianæ merx recentior Muſæ,
Illa favente, cœpit O fidem Phœbi!
Quin ipſa Conſolatio (*Itali fœtus*)
Non Tullianum *falſa nomen adſcivit?*
Aliuſque ſchema Livii *Patavini?*
Quid, erudite Lector, hic trahis naſum
Vultumque ducis? quid ſtruis pedem? ſiſte.
Mane parumper, delicate: permittes
Apicianas *forſan inſtrui menſas,*
Stomachique robur, & gulæ voluptates.
Vulnuſque linguæ ſi putabis inflictum
Tot barbariſmis atque tot ſolœciſmis;
En hic medelam Lucium Madaurenſem,
Herbaſque Macri *pollicetur, ut ſanet.*
Et Imperator Ruſticæ Rei *gnarus.*
Hæc ſanet, inquis, nugivenda, deceptrix,
Inepta? ſanet querquera ipſamet febris.
An pure in ipſo præſidî latet quicquam?
Opemve credis ferre circulatorem?

Quid

Quid ergo? probra litteraria, & peſtes,
Ruſque inficetum vapulare mandabis?
Sapis profecto. Sit modus tamen dictis.
Vitare fucum, eſt providi: ſed inſulſi,
Et barbari, artem lancinare divinam.
Fers in ſenatu, ferſque pro tribunali.
Alibique mimos hiſtrioniæ addictos.
Erroneamne protinus manum damnes
Nec litteratæ huic hiſtrioniæ ignoſces?

Iſtud adjungo; Harlemenſes ex veteri libro M. S. hoc ſuæ urbis ἐγκώμιον adducunt:

H		Honorandus
A		Amandus
R	lo-	Recommendandus
L	cus	Laudandus
E		Exaltandus
M		Magnificandus.

LEIDA.

Hæc Ptolemæo *Lugdunum Batavorum* dicitur, prima totius Hollandiæ civitas, ſi ejus amœnitatem, agros fertiles, decus antiquitatis, addo & litterarum gloriam ſpectes, Cornelius Aurelius, diligens imprimis Antiquitatum Batavicarum indagator, perpetuo fere nomine appellat *Leydas*, ſicut *Athenæ, arum*, in plurali numero, propter honorificentiam tantæ urbis, ut in Notis ad Corn. Aurelium addit V. C. & nivei pla-

ne pectoris *P. Scriverius*. Gerardus Geldenhaurius Noviomagus, qui Carolo V. Imp. à ſacris fuit, vocat *Legiam*, & à legionibus, quæ ibi caſtra habuerunt, veriſimili conjectura denominatam opinatur.

In templo Gallico ſeu B. Mariæ, ea nimirum parte, quam inſidere ſolebat auditurus ſacras conciones, videas *Tumulum & inſignia Ioſephi Iuſti Scaligeri*. Epitaphium ita habet:

DEO.
OPT. MAX.
ET

ÆTERNÆ. MEMORIÆ. IOSEPHI. IVSTI. SCALIGERI. IVL. CÆS. A BVRDEN. F. PRINCIPVM. VERONENSIVM. NEPOTIS. VIRI. QVI. INVICTO. ANIMO. VNA. CVM PARENTE. HEROE. MAXIMO. CONTRA. FORTVNAM. ADSVRGENS. AC. IVS. SVVM. SIBI. PERSEQENS. IMPERIVM. MAIORIBVS. EREPTVM. INGENIO. EXCELSO. LABORE. INDEFESSO. ERVDITIONE. INVSITATA. IN. LITERARIA. REP. QVASI. FATALITER. RECVPERAVIT. SED. PRÆSERTIM. EIVSDEM. MODESTIÆ. QVOD. SIBI. FIERI. VETVIT. IIDEM. QVI. IN. VRBEM. HANC. VOCARVNT. CVRATORES. ACADEMIÆ. AC VRB. COSS. HOC. IN. LOCO. MONVMENTVM. P. E. L. C.

IPSE. SIBI. ÆTERNVM. IN. ANIMIS.
HOMINVM. RELIQVIT.

Ipſe

Ipſe alias, qua erat modeſtia, non aliud monumento incidi voluit, niſi hoc breve oraculum, quod etiamnum illic legitur :

IOSEPHVS IVSTVS SCALIGER
IVL. CÆS. FIL.
HIC EXPECTO RESVRRECTIONEM.

In extrema parte lapidis ſepulchralis :
Terra hæc ab Eccleſia emta eſt,
Nemini cadaver huc inferre licet.
Eſt & aliud ibidem :

BONÆ MEMORIÆ
CAROLI CLVSII ATREBATIS POS.

QVI OB NOMINIS CELEBRITATEM PROBITATE, ERVDITIONE, TVM REI INPRIMIS HERBARIÆ ILLVSTRATIONE PARTAM, INTER AVLÆ CÆS. FAMILIARES ALLECTVS, ET POST VARIAS PEREGRINATIONES A NOBB. DEMVM ET AMPLISS DD. CVRR. ET COSS. IN HANC VRBEM CONDECORANDÆ ACADEMIÆ EVOCATVS ET STIPENDIO PVB. PER ANNOS XVI. HONORATVS XXCIV. Æ. S. ANNVM INGRESSVS OBIIT COELEBS IV. APR. M. DC. IX.

Jacobus Cluſius Rothomagenſis Medicinæ doctor iſtud Amico defuncto ſcripſit :
Non potuit plures heic quærere Cluſius herbas :
Ergo novas campis quærit in Elyſiis.

Item:

Omnia Naturæ qui munera pectore cluſit
Cluſius, herbiſero clauditur hoc tumulo.

Sunt inſuper plurima, quibus operæ pretium eſt oculos & memoriam accommodare.

I. *Bibliotheca.* Huic adornandæ primus cauſam dedit Illuſtriſſ. Princeps Guilielmus Auriacus, qui Biblia Regia ſeu opus Complutenſe Philippi II. Regis Hiſpaniarum juſſu ac proviſu editum illi loco donavit. Cujus poſtea liberalitatem imitati alii, interque eos Joan. Holmannus Theologiæ Profeſſor, qui omnem ſuam librorum ſupellectilem morti proximus conceſſit. Eſt & in ea *legatum Ioſephi Iuſti Scaligeri* viri ſummi, quod variis iiſque ad ducentos octo libris MSS. conſtat, qui ſunt Græci, Hebraici, Chaldaici, Syriaci, Arabici, Æthiopici, Perſici, Armeniaci, Ruſſici. Servantur & illic *libri manu exarati ex Biblioth. Bonaventuræ Vulcanii A.* 1615.

II. *Locus Academiæ, & auditoria* publicarum lectionum. In veſtibulo hæc inſcriptio cernitur:

MEMORIÆ POSTERITATIS.

ÆDEM. ISTAM. IN. QVAM. ANN. cIↄ. Iↄ. LXXXI. CVRATORES. ACADEMIÆ. ET. COSS. HVIVS. VRBIS. PVBLICAS. ACROASES. TRANSFERRI. VOLVERVNT. QVAMQVE. VERÆ. SAPIENTIÆ. ET. LIBERALIBVS. DOCENTIVM. AC. DISCENTIVM. EXERCITIIS. ATQVE. HONORIBVS. DEDICARVNT. POSTQVAM. EXORTA. REPENTE. FLAMMÆ. VIOLENTIA. III. EID. NOVEMB. ANNO. cIↄ. Iↄc. XVI. TECTVM. EIVS. TRABEIS. CATHEDRAS. SVBSELLIAQVE. FOEDE. ABSVMSISSET. EAM. EX. DECRETO. ILL. AC. PRÆPOT. HOLLANDIÆ. ET. WESTFR. ORDINVM. IN. HVNC. MODVM. MAGNIFICE. RESTAVRATAM. PVBLICIS. DIVINARVM. ATQVE. HVMANARVM. RERVM. DISCIPLINIS. CONSECRARVNT.

ADRIANVS. A. MATENES. DOMINVS. IN. MATENES. OPMEER. &c.
CORNELIVS. VANDER. MYLE. DOMINVS. IN. MYLE. DVBBELDAM &c.

ACAD. CVRATORES.

III. Academiæ *Hortus* adjacet quaſi quædam ejus pars, ob herbarias lectiones, quæ æſtivo tempore à præfecto heic haberi conſueverunt. Eſt is valde amœnus, & arboribus ac ſtirpibus tam indigenis quam exterioribus inſtructiſſimus.

Illius inſcriptio hæc eſt:

VSVI.

USUI, ORNAMENTO
ACADEMIÆ
CURATT. ET COSS. JUSSU
STRUCTUM OPUS.
ANNO A NATO CHRISTO
cIↄ. Iↄ c.

Hortum ingreſſus, ad ſubſcripta reſpicito.

1. Statutâ à Præfecto horâ Hortum ingredi fas eſto; examine finito, egreditor.
2. Ingreſſis, ſtirpes videre licet, odorari licet: tenellas, ſuccreſcenteſve tractare, lædereve non licet.
3. Ramos, flores, ſemina decerpere: ſcapos confringere: bulbos, radiceſve evellere: Hortum injuria afficere, nefas eſto.
4. Pulvillos, areolaſve ne conculcato, tranſilitove.
5. Nihil invito Præfecto attentato.

Cæterum *in area horti* rariora quædam conſpiciuntur:

Cannæ duæ Indicæ longiſſimæ & latiſſimæ.
Lignum quod in lapidem concrevit.
Lignum quod appulſu graviori tactum aquam diſtillat.

VI. *Ana-*

IV. *Anatomia.* In hac Argus fuerit, qui tantam copiam rerum ſimul & ſemel intentiſſimo etiam oculo pelluſtrare annitatur. Mihi tempus & otium ſuppetebat, pleraque in chartam conſignandi: quæ ſi & heic ſubnotem, venia mihi dabitur. Hæc autem præcipue occurrebant, quæ taliter diſtinguo.

Mumiæ & Funeralia ab ævo priſco.

Loculus ſive capulus feralis Ægyptiacus, operculo Iſidis effigie inſignitus, continens cor Magnatis Ægypti in Mumiam conditum ante annos 1300.

Mumiæ veræ à multis retro ſæculis adſervatæ brachium elatum ex ſubterraneo ſepulchro 4 milliaribus à Cairo.

Icunculæ duæ, una virilis: altera muliebris, ex eodem ſepulchro allatæ, quas olim Ægyptii nobilium cadaveribus conditis linteis involutas gentilitia ſuperſtitione apponebant. Vid. Sueton. in Nerone.

Iſidis effigie inſignitus Cippus, ſive operculum loculi Ægyptiaci, Mumiam vetuſtiſſimam continens.

Urnula Romana, quales ſolebant in ſepulchro jungere lampadibus liquore fragranti refertas, eruta in ſuburbano agro urbis Neomagenſis, ubi olim ſtativa habuere Hunni ex Italia reduces.

Urna

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Urna feralis Romana capaciſſima.

Noctua, quæ apud Ægyptios mortis erat hieroglyphicum, ideoque cadaveribus & muniis apponi conſueverat.

Brachia Ægyptiacæ Mumiæ veræ.

Humana & ad humanos uſus.

Cucullus niger monachi Moſcovitici.

Septem calculi veſicæ, poſt mortem reperti in corpore Joh. Heurnii Profeſſoris Medici in Acad. Lugduno-Batava.

Crepidæ ex Indiæ Orientalis regno Sian.

Cucurbita vitrea, quibus hodie Medici utuntur Ægyptii & Syriaci.

Brechma ſeu capitis fons ſive fontanella, quæ in infantibus eſt membranacea, & viſa interdum in mulieribus 26 ætatis anno nondum induruiſſe, ac ingruente capitis dolore ſubinde dilatata fuiſſe, teſte Bauhino.

Animalia.

Caput Alces ex vivario magni Moſcov. Ducis, donarium D. D. Jacobi Paludani civis Leydenſis, Ruſſorum Imp. Archiatri. A. 1622.

Elephantis caput ex Angola advectum. A. 1620.

Sceleton Aquilæ.

Caput Tigridis ex Ind. Orientali.

Orbis marinus echinatus.

Canis veſica.

Scincus, piſcis.

San-

Sanguis Crocodili, qui immiſſus oculis, eos claros & à cicatricibus terſos reddit; ex Cayro Ægypti delatus. A.1620.

Cancer ex regno Jacatra Indiæ Orient. à D. Juſto Heurnio ad fratrem Othonem tranſmiſſus A. 1626. Chinenſes his veſcuntur.

Yvana lacerti genus ex India Occidentali.

Animal repertum in Americæ tractu Mexicano; vivit ſub terra ut talpa, carnem habet tenellam & boni ſucci. Hiſpani vocant ARMADILIO, id eſt, armatum, indigenæ TATTOU & AIOTOCHTLI, hoc eſt, cuniculum cucurbitæ.

Balæna ex utero materno cæſa.

Roſtrum avis Rhinocerotis ex Æthiopia advectum.

Haſta mucronata piſcis ſerræ, ſeu priſtis antiquis appellati, roſtro ob magnitudinem raro, ex Oceano Indiæ Oriental. advecta.

Galei piſcis maxilla.

Exuviæ piſcis ſoleæ exoticæ, duriſſimis ſquamis ſolidatæ.

Scarabæus cornutus ex India Orientali, qui etiam Taurus & Cervus volans appellatur.

Ala piſcis volatilis, quem Boladoro Hiſpani nuncupant.

Roſtrum picæ Breſſilicæ majoris.

Ova

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Ova Serpentis ex India Orientali.

Annulus ex dente equi marini, qui in anulari digito geſtatus dicitur hæmorrhoides provocare, iiſque fluentibus rubeſcere.

Mineralia.

Alumen cæruleum ex Ternada Moluccarum inſula, cujus excellens facultas eſt in hæmorrhoidum cura.

Calſavve, ſeu, ut alii, Calſue Occidentalis.

Calſavve Orientalis.

Hic lapis ex diſſitis Perſiæ finibus frigidiſſimo monte Caucaſo, & inſulis Carmeniæ apportatur, ac ob virtutes ſuas & præclaras operationes per univerſam Indiam, Sinam, Perſiam, Cyprum, Alexandriam, Conſtantinopolin, &c. celebratiſſimus eſt; eumque Chriſtiani orbis regna plurima, regiones, urbes admirantur, & maximi æſtimant.

Heliotropius gemma.

Lapis oſſifragus, Steynbrech, circa Spiram, Heidelbergam, Darmſtadium, & in Electorali ditione Brandēburgica reperitur.

Aqua circa ligni ramum in lapidem concreta, ex Galliis delata à D. Harrevvijn.

Arma.

Acinaces ex regno Indorum Oriental. magni Magor.

Pugio Æthiopicus, cujus manubrium in

Dæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Dæmonis effigiem (quem miſeri ibi adorant) eſt conformatum.

Vide inſuper, & ride ad

Halecis ſalſati vires & juramenta.

Alec ſalſatum, craſſum, blancum, grave, latum,
Illud dorſatum, ſciſſum, perventrificatum,
Huic caput ablatum, ſic pellibus excoriatum,
Intus mundatum, crudum, vel in igne crematum,
Illi cæpe datum, per panem ruſtificatum,
Et ſic cœnatum, dum tranſis nocte cubatum,
Hoc thyriatatum valet antidotum preciatum.
Quod parat optatum putamen largifluatum,
Dans de mane ratum, guttur bibendo paratum,
Hauſtu proſtratum reparat madidatque palatum,
Et caput & pectus deſiccat phlegmatiſatū,
Dans urinatum, cito mox deinde cacatum,
Dirigit inflatum, cibum penetrat veteratum.
Hoc medicimatum Laurens fert verſificatum.

Re-

Repertum in triclinio Arnoldi Ducis Geldriæ.

Halec aſſatum convivis eſt bene gratum,
De ſolo capite faciunt bene fercula quinq;.

V. In *templo D. Petri.* Plurima inſignia & vexilla Principum, Comitum, Baronum, Nobilium, qui eo loco humati. Sed & magnorum virorum *Epitaphia*:

1. RAPHE-
LENGIO-
RUM
plus non exſtat.

2. EPITAPHIUM CHRONOSTICUM.

OCtobrIs ter ſena DIes & qVIna refVLget.
SenaqVe LeyDensI bIs ſonat hora ſoLo,
OrbIs VbI tItan franCIſCVs IVnIVs atra
TaCtVs peſte, æthræ regna beata petIt.

3. DEO OPT. MAX. S.
Quid Fati invidiam queror,
Aut multis moror Hoſpitem?
Nomen nobile ſi loquar,
Paucis omnia dixero:
BOCKENBERGIUS HIC JACET.

PE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

PETRO
BOCKENBERGIO
HISTORIOGRAPHO
HOLLANDIÆ ZELANDIÆQVE
ETC. PIÆ CONJUGIS OFFICIOSUS
IN MARITVM DOLOR
MONUM. POS.

NATVS GOVDÆ. A. CIↃ IↃ XLVIII.
DENATVS LEYDÆ A. CIↃ IↃC XVII.
IANVARII DIE XVI.
EGRESSVS ANNVM VITÆ LXVIII.
NE VITA SIT TRAGOEDIA.

4. HIC SITVS. EST. VIR. CELEBERR. D. D. IOHANNES HEVRNIVS. IN ACADEMIA. LEIDENSI. PRIMARIVS MEDICIN. PROFESSOR. PER ANNOS. XX. ET. IN EADEM. VI. RECTOR. MAGNF. MAGNÆ PRVDENTIÆ. SVMMÆ IN DOCENDO. ET. SCRIBENDO. VENVSTATIS. AC. CELEBRITATIS. VITA LAVDAB. TRANSACTA. OBIIT XI. AVG. AN. CIↃ IↃ CI. VIXIT ANNOS LVIII.

EPITAPHIVM.

Heurnius. Hippocratis. Genius. hac. conditur. urna.
Cui. non. inveniet. terra Batava. parem.
Flete. ô. Pæonides. &. crines. ſolvite. Muſæ.
Occidit heu. veſter famaque ſolque. chori.
Verdoeſius. Med. poſuit.

5. D. O. M.

5. D. O. M.

ET

MEMORIÆ. D.D. GERARDI BONTII. VIRI. CVM. OIUM DISCIPL. TVM. PRÆCIP. VTRIVSQVE. MEDICINÆ. LAVDIB. ORNATISS. QVI. IN. FLORENTISS. BATT. ACADEMIA. PRIMARIVS. MEDIC. PROFESSOR. MAGNA. FAMÆ. CELEBRITATE. TOTIS XXIV.. AN. PVBL. DOCVIT. IDEMQVE. RECTOR. MAGNIF. RECTORATV. SIMVL. CVM. VITA DEFVNCTVS. EST. XV. VIIBRIS AN. CIↃ. IↃ. IC. VIX. AN. LXII. M. VI. D. XI. CON. ET LIB. M. P.

6. In membrana ligneæ tabulæ adglutinata.

Iohan. Holmanni Theologi.

Hoc tumulo Holmanni *cineres Libitina* ſacravit.
Siſte Hoſpes, fuerit, dum, quis & unde, ſcias.
Prognato ingenuis Stadena *parentibus auras*
Lucis, & expenſa huic prima elementa tulit:
Mox Rhodus, & Cimbræ *puero plauſiſtis* Athenæ,
Quæ Codana *frequens littora plangit olim.*
Hic percepto animi cultu morũ indole vitã,
Ingenium ingenuis Artibus excoluit.
Nec ſatis hoc: celebrem Miſni *quoque Principis aulam*
Et Wittembergam *noſcere cura fuit.*

Sæpe

Sæpe his Lotichii *pendere canentis ab ore,*
Sæpe tua meruit voce Philippe *frui.*
Sacrorum imprimis Ritus *perdiſcere, cordi,*
Et ſtudium veræ Relligionis habens.
Majores natu venerari, æqualibus uti
Comiter, à faſtu liber, & invidia.
Et mirum, tantis virtutum inſignibus auctum,
Saxonici *ſtudium promeruiſſe* Ducis,
Et dignum ante alios habitum, ſua pignora curæ
Hujus & arbitrio crederet, & fidei,
Martia quo placidas molliret corda per artes,
Æmula Phillyridæ ſuada Magiſterio.
Si magnis placuiſſe haud parva eſt gloria, noſter
Cur non hac etiam laude Secundus *ovet?*
Sed durum pugnare Deo, patriæque vocanti:
Sic laribus tandem redditus ille ſuis.
Spargere Divini *properavit ſemina* Verbi,
Vixdum etiam quinas natas olympiadas.
Erudiundi alios Sophiæ eſt & principium, & fons,
Hæc paritur non ætate, ſed ingenio.
Quæ cura à teneris Holmanno *inceſſerat annis,*
Civibus ut poſſet utilis eſſe ſuis.
Hæc eadem uſque per undecimæ Trieteridis orbem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Ad canos etiam concomitata ſenem.
Duratura rogo porro tenus, & bene, ſi non
Huc quoque manaſſet nominis aura tui.
Scilicet hinc Batavo Bremam *mutare* Lycæo
Et Lugdunenſem *juſſus adire* Sain.
Hoſpita ubi terra iſta dares, ea ſcilicet una
Deerat adhuc ſpatiis ultima meta tuis.
Haud aliena tamen: certe domo abuſque petita
Hic iit in thalamos Caja *ſecunda tuos.*
Quæ legeret ſupremo animam morientis ab ore,
Lumina quæ caris conderet articulis.
His priva, ac Douſæ *laribus confinia tecta:*
Carior hocque etiam nomine Leida *tibi.*
Parva loquor: tanti certe inquam Lipſius, *ille*
Qui tibi pro multis millibus unus erat.
Diſcipulorum auris tanti; conſueta frequenti
Cingere ſuggeſtus obſidione tuos.
Sollennique ſenem juvenum deducere pompa,
Abdita dum magni fers documenta Dei.
Indicio fuerit Librorum *exſtructa ſupellex,*
Verſatos manibus quos juvat eſſe tuis.
Hanc Academiæ *voluiſti cedere in uſum,*
Prodeſſe orbi etiam poſt tua fata ſtudens.
Nec pietas obſcura tua hæc, ſed in acta *relata*
Publica, nunc quo ſtat Bibliotheca *loco.*
Ingenium hic quoque multa tuum monumenta loquuntur,

Signa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Signata archetypis illa voluminibus.
Liqueris hæc animi quo robore, quamque ſa-
lutis.
Spe ſolida innixus, prætereunda mihi.
Vxorem & quotiens ſolatus dixeris; O *quam*
Diſſolvi, *& tecum me Deus eſſe juvat.*
Vt propria hæc etiam fuerit laus: mi ſatis il-
lud
Dicere; Non aliter ſit mihi poſſe mori.
Sic tua mors, ſic vita odii expers omnis: &
unde
Iure ſibi exemplum noſtra Lycæa *petant.*
Nunc veram tibi det Requiem *Deus, & bo-*
na multa
Eveniant Cineri care Secunde *tuo.*

DEO MAX.

ET MEMORIÆ IOH. HOLMANNI SECVNDI
THEOLOGI ET PROFESSORIS VITA
DOCTINAQVE LAVDATI
BEKE AB EDENBVTTELS
VXOR HEV MOLESTA POSVIT.
VIXIT ANNOS LXIII. OBIIT
AN. ADSERTÆ SALVTIS
∞. D. LXXXVI. VII.
CAL. IAN.

7. THOMÆ ERPENIO

VIRO IN OMNI GENERE LITERARVM EXIMIO, ORIENTAL. LINGVARVM PERITISS. EARVMDEMQVE IN ALMA BATAVORVM ACADEM. PROFESSORI LONGE PRÆSTAN-
TIS-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

TISSIMO LIBRISQVE SVIS ET ARABICIS TYPIS CLARO, VITÆ INTEGRITATE, PIETATE, PTOBITATE, MODESTIA, MORVMQVE SVAVITATE INSIGNI, ANN. cIↄ Iↄ LXXXIV. III. EIDVS SEPTEMB. GORCOMII IN BATAVIS BONO EGREGII PVBLICI NATO, EIVSQVE INCOMPARABILI DAMNO LVGDVNI BATAVORVM IN FLORE (HEV) DENATO, AN. cIↄ IↄC XXIV.

JACOBA BUYESIA

AMPLISS. ET INTEGERRIMI HOLLANDICÆ CVRIÆ SENATORIS IOHANNIS BVYESII MONACHODAMENSIS ICti FILIA OPTIMO ET BENE MERENTI CONIVGI, CVM QVA OCTENNIVM SINE QVERELA VIXIT, TRIVM EX EO LIBERVM PARENS CONTRA VOTVM MOESTISSIMA POSVIT.

Vale, vale dulciſſime. Sit tibi
terra levis.

HOMO BVLLA. RVIT HORA.

Subtus in alio ſaxo:

THOMAS ERPENIVS
HEIG
FIDELIVM
RESVRRECTIONEM
EXSPECTAT.

D. O.

8. D. O. M. S.

ET

ÆTERNÆ MEMORIÆ

ANDREÆ BACCHÆRI,

POPERINGANI FLANDRI, QVI CVM ARTIS MEDICÆ PERITIA INTER PRIMOS ÆTATIS SVÆ CENSERETVR, EAMQVE PRINCIPIB. XXXIII. COMITIBVS XIII. RARO EXEMPLO. APPROBASSET, LVGDVNVMQVE BATAVORVM VITÆ, AVLÆ, HONORVM SATVR SECESSISSET, ANNOS LXX. NATVS, DEO ET NATVRÆ IBIDEM CONCESSIT PRID. KAL. DECEMB. AN. CIↃ. IↃC. XVI.

Conjugi optimo
optimo patri
uxor liberique
M. H. P.

Subtus in ſaxo:

D. ANDREAS BACCHÆRVS MEDICINÆ DOCTOR, QVONDAM ILLVSTRISS. DVCVM BRVNSVICENSIVM ET LVNÆBVRGENSIVM PER XVIII. ANNOS ARCHIATER ET CONSILIARIVS, BEATAM RESVRRECTIONEM HIC EXPECTAT.

9. D. O. M.

REMBERTO DODONÆO MACHLIN.
D. MAXIMILIANI II. ET RVDOLPHI II. IMP.
MEDICO ET CONSILIARIO

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

CVIVS IN RE ASTRONOM. HERB. MEDIC.
ERVDITIO SCRIPTIS INCLARVIT
QVI IAM SENEX IN ACAD. LVGDVNENSI
APVD BATAVOS PVBLICVS
MEDICINÆ PROFESSOR FELICITER OBIIT
AN. cIↄ. Iↄ. LXXV. AD VI. IDVS MART.
ÆTATIS SVÆ LXVIII.
REMBERTVS DODONÆVS
FIL. M. P.

VI. *Pyrgus* ſeu Burgum in media fere urbe, acclivi undecunque tumulo, loco editiori, ut quaqua te convertas, proſpectus aptiſſimos habere poſſis.

Intra hujus ambitum *Puteus* mira profunditate, raram tamen aquam continens. Hujus Caſtri autorem & conditorem ferunt Engiſtum, circa An. à N. C. 450. cum poſt devictam valida manu Britanniam domum rediiſſet, ob hæc facinora alter Sextus Tarquinius vocatus. Ab hoc Burgo dicebantur *Burggravii Leidenſes*, qui potentia olim valuerunt, & non tantum proprietarii urbis *Leidanæ*, ſed & Rhenani territorii, ſeu *Rijnlandiæ* domini erant. Apud vetuſtiſſimam familiam *VVaſſenariorum* hæc dignitas multos annos quaſi propria manſit. Vetuſtiſſimam autem appello, quoniam ejus mentione tritum illud apud Hollandos ſermone proverbium incidit;

VVaſ-

VVaſſenarios eſſe antiquiſſimos,
Egmondanos ditiſſimos,
Brederodios nobiliſſimos.

Hæ enim tres familiæ in Batavis vere familiam ducunt.

VII. *Curia.* Cujus conſcenſa *turris* egregium horologium, & optime ſonantia cymbala, quin & totius urbis elegantiſſimum *proſpectum* præbet. Servantur adhuc in iſto civitatis oraculo, & in ejus camera Conſulum inſignes valde picturæ, à Cornelio Engelberto & Luca Leidenſi Vrbis quondam civibus efformatæ, uti ſunt:

Munera trium Magorum ab antiqua manu.

Icon extremi judicii, Lucæ Leidenſis opus; pro qua aſſerunt Rudolphum II. Imp. tot aureos Vngaricos, ut ea potiretur, obtuliſſe, quot ſcilicet aurei ad obtegendam illam tabulam ſufficerent.

VIII. *Orphanotrophium.* In quo ad 700. pueri, innuptæque puellæ gratis aluntur. Munditie ac elegantia ſua multas Principum domos provocat, ſic ut ſimile huic in omnibus Belgii provinciis non ſis inventurus.

IX. Viſitur etiam *domus*, inque ea Muſæum *I. Lipſ*I, V. C. tum Profeſſoris Leidani. Ego ſub ingreſſum ita dicere cœpi:

Parva quidem domus eſt, tamen eſt ſat
magna, quod olim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

LIPSIVS *hac voluit magnus habere domo.*

Paſſuum millibus Leyda diſtat *Rhenoburgum*, & paulo ulterius *Catvicum*, duo inſignes pagi ac propter antiquitatis memoriam merito æſtimandi. Quibus adnumerari debet *Sevenhuſa.*

RHENOBURGVM, *Reinsburg.*

Heic erat olim ampliſſimum ordinis Divi Benedicti *Cœnobium*, quod Petronella filia Ducis Saxoniæ, Florentii II. Comitis Hollandiæ, cui cognomentum Pinguis ſeu Craſſi adhæſit, uxor fundaſſe dicitur. Hodie muri ejus ac collapſa rudera perdurant. In *templo* autem ejus pagi hæ antiquæ inſcriptiones adhuc ſuperſunt.

1. *VVilhelmus. primus. Comes. Hollandic. Obiit A.* 1213.
2. *Aleidis. filia. Comitis Geldric. uxor. ejus. Obiit. A* 1218.
3. *Ada. filia. VVilhelmi. primi. Comitis. Hollandie. Reinsburch. Abbatiſſa. Obiit A.*1258.

CAT-

CATVICVM.

Ad litus maris proxime ſitum *Catvvijck op zee.* Ego non vane à Cattis ſeu Heſſis ita dictum opinor. Quorum primus Bato Cattorum Principis filius, ſive domeſtica illa ſeditione, cujus Tacitus hiſtor. *lib.* 4. meminit, ſive populi ſui ſeceſſione & benevolentia, ſive Novercæ inſidiis, ſive alia ratione motus, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, ſimulque inſulam à fronte Oceano, à tergo lateribuſque Rheno circumfuſam, quæ Batavia hodie dicitur, occupavit. Erat ibi quondam oſtium Rheni nobiliſſimum, ſed circa An. Chr. 860. vi tempeſtatis obſtructum. De quo ex profeſſo quaſi agit *Cornel. Aurelius Batavia lib.* I. *cap.* 5. Viſitur adhuc eo in loco locus, ubi antiquiſſima *arx ſive Turris Britannica, het huys te Britten*, vel *Brittenburg*, ſtetit. Hæc fuit Caſtellum præſidiarium pop. Romani, quo adpoſitis excubiis & cuſtodiis arma navalia ac tela adſervarentur. Pleriſque placet, hanc fuiſſe TURRIM, quam C. Caligula, ut *Suetonii* verba uſurpem, in indicium victoriæ excitavit, ex qua ut ex Pharo, noctibus ad regendos navium curſus ignes emicarent. De XII *Cæſarib. lib.* IV. *in vita C. Calig. Cæſ. c.* 46. Quibuſdam & hæc Turris S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Brandarii dicta. Quam ob cauſam vero hæc Arx *Britannica* nomen indepta fuerit, inter Antiquitatum arbitros adeo non convenit. *Humfredus Lhuydus Anglus in ad Abr. Ortelium Antverpian. Epiſtola* triplicem hujus nominis rationem vel ſuſpicionem potius adfert. 1. Ita vocatam fuiſſe, quod Britanni piraticam frequenter ob commoditatem portus circa illud oſtium Rheni exercuerint, obque id violentiæ huic avertendæ turrim à Batavis exſtructam. 2. Quod Antoninus Imp. cum jam mare per Saxones & Friſios infeſtaretur, inſtaurato hoc ædificio militem Britannum in eodem collocarit. 3. Quod ille locus circa Rheni (jam præcluſi) terminum mercatorum Britannorum receptaculum & annonæ ab illis invectæ quaſi horreum fuerit. Talia, referente Ammiano Marcellino, Iulianus Cæſar multa per Gallias & Germaniam annonæ Britannicæ tutandæ ergo exſtruxit, quædam etiam incenſa & diruta reſtauravit.

Ceterum ab incolis Catvicenſibus *lapides*, *numi*, & *alia* antiqua non raro reperiuntur. Quidam exhibebat nobis *monetas veteres* ex ære & argento à Romanis cuſas, item *clavem anulatam* forma minutiſſimi digiti. Quæ Romanis ad duplicem uſum adhibita: partim ut ea Epiſtolas ac penum & ſupellectilem domeſticam ſignarent, partim

ut

ut clauſa aperirent. Alius apportabat nobis *lapides quadrilateres* medioximam partem inſcriptionibus inſignitos, quæ tamen ita adroſæ ac eraſæ, ut vix legi potuerint. In uno ac altero animadvertebam quaſi *cor apertum biſidum*, & circum inciſas litteras, VNIO EGN. fortaſſean REGNI. Sic enim tum interpretabar duabus litteris huic dictioni adjectis: quam lectionem & conjecturam calculo quoque ſuo adprobabat, qui mecum erat, vir inuſitatæ eruditionis CL. & Nobil. *Dn. Ioach. Morſius*, quem amicitiæ ac fraternæ conjunctionis noſtræ cauſa nomino. Ceterum CL. & ſagaciſſimus *Scriverius* ſuſpicabatur, VNIO. E. S. INF. ut denotetur, *unio exercitus Germaniæ inferioris.*

SEVENHVSA.

Sevenhuyſen in de Venen.

Pagus quarto lapide Leydis diſtans *Nemori amœniſſimo* adjacet, quod non vane Paradiſum Hollandiæ dixeris. Longitudo ejus ad dimidiam fere leucam, latitudo ad ſtadium ſeu octavam milliaris partem extenditur. Formæ eſt quadrangularis, & tam apte quidem inter ſe cohærentis, ne ulla pars aut area ante aliam protuberet, ſed omnes æquali plane ſummetria ac quaſi fronte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

ſibi invicem reſpondeant. Quin & inſulæ inſtar limpidiſſimis canalibus diſtinguuntur ac interſecantur, ſic ut non niſi per naviculam, quaqua parte velis, hæc tempe commodum adire ac permeare poſſis. Canalis quoque unus medium nemus interfluit, ac tres alii in tranſverſum: qui omnes, ſicut & ſaltus ipſe, tam regulari & incurva plane æquabilitate conſiſtunt, ut locum hunc ab antiquo de induſtria ſic formatum atque excultum eſſe appareat.

Confluunt quotannis, ubi tempus vernum appetit, tam multæ omnis generis aves in hoc nemus elegantiſſimum, ut plures vix in toto Belgio reperiri credas. Quatuor tamen ex iis præcipue familiam ducunt, quæ ſermone patrio ſic appellari ſolent,

Quacken,
Scholfers,
Lepelaers,
Reygers.

Hæ ſtatim ſub adventum ſuum nidos magna copia conſtruunt, quos poſtea circa menſ. Septembrem relinquunt. Antequam vero abitum moveant, homines paſſim non ſolum ex omni Hollandia, ſed & aliis provinciis accurrunt, ut tam ſuavi voluptate ac raris delitiis perfruantur. Tum enim in illorum gratiam longæ ultra modum perticæ,

ticæ, quarum extremitas magnis ferreamentis armatis conſpicua eſt, adhiberi conſueverunt, ut ſic arboribus circa ſummum faſtigium, ubi optime poſſunt, firmiter agitatis, aves tanquam poma aut pyra in terram decidant, quæ ab adſtantibus non ſine jucunda interdum concertatione colliguntur. Rex Britanniarum Iacobus VI. binas naves dicitur harum avium, ſi tamen *Scholſers* excipias, ſingulis annis ex hoc nemore in Angliam non ſine ſumptu ac labore magno advehi juſſiſſe.

GRAVENHAGA.

HAGA-COMITIS pagus, ut ego quidem arbitror, totius Europæ pulcherrimus, & qui potius amplæ ac egregiæ urbis faciem præ ſe fert: majori tamen ſui laude quam ſi urbs eſſet: Tum enim inter minores recenſeretur.

Curia iſthic Illuſtr. ac Præpotentum Fœderatæ Belgicæ Ordinum, quam eo Wilhelmus Romanorum Rex & Hollandiæ Comes tranſtulit, cum antea Harlemi eſſet. Hic & *Palatium* condidit, quo Illuſtriſſ. Princeps Auriacus ſedem tenet, aquis & foſſis undique cinctum ac communitum.

Sunt præterea

Pulchri adſpectus nemorum: *quos poſſidet* Haga,

Aſtreæ Venerisque Deægratiſſima ſedes,
Haga *voluptatum genitrix, genitrixque laborum:*

Sicut Δαιμόνιον iſtud hominis V. Nobiliſſ. *D. Heinſius* in ad affinem ſuum I. Rutgerſium propemptico non minus vere quam elegantiſſime canit.

Quæ Tempe *Conſtantinus Hugenius*, Eques Belga litteratiſſimus, rythmis ſuæ linguæ pari venuſtate commendavit, in libris ſuis *Otiorum*. Et ab hoc quidem Nemore Clariſſimus & Doctiſſimus *H. Iunius*, aliique indigenæ, non procul diſſitum fuiſſe putant *Sacrum* illud *Nemus* vulgo *Schakenboſch* vel *Sacrenboſch*, cujus mentio facta in hiſtoriis C. Taciti. Erat autem illud, in quod Claudius Civilis fortiſſimus Batavorum Princeps, regia ſtirpe clarus, *primores gentis* (penes quos etiam hodie Reipubl. ſumma) vocavit, & ad eos perelegantem orationem habuit, magno cum aſſenſu auditus. Vide *Tacit. hiſtor. lib.* 4.

In Templo Hagienſi primario ſepultus eſt I. Douſa Fil. hoc Epitaphio:

I. DOUSA IANI F. HIC CVBAT. QVI VIXIT ANN. XXV. MENSES XI. DIES IV.

Haga fieri commode poteſt, ſolet etiam, ambulatiuncula in pagos viciniores *Riſvicum, Scheveringã, Lauſdunũ, Vorburgum.*

RIS-

RISVICVM.

Ibi eſt *Equile Principis* Auriaci, in quo ordinarie Equi plus minus 80 ſtabulari ſolent. Monſtrantur etiam *Caſuariæ duæ*, aves rariſſimæ Indicæ, *Cervæ* aliquot *Indicæ*, albis maculis eleganter admodum variegatæ.

SCHEVERINGA.

Heic oſtenduntur *Currus velivoli*, queis Mauritius Naſſavius Illuſtriſſ. Belgii Gubernator inclitæ memoriæ interdum uſus, cum juxta litus marinum exſpatiari libuit. In tali curru ſedentes 28. viri duarum horarum ſpatio quatuordecim leucas Hollandicas, videlicet Scheveringa Pettemum uſque confecerunt, tanta velocitate, ut ab obviis & prætereuntibus agnoſci non potuerint; ſicut teſtimonio eſſe queant Legati Imperatoris, aliique Magnates, Galli, Angli, Dani, & alii eo vecti, immo & ipſe Admiralius Arragoniæ D. Franciſcus de Mendoſa, Ordinum tum captivus. Quin & nullus equus, licet celeritate ingenti præſtans, illum longo ſpatio curſu æquare potuit. Hujus currus inventor *Simon Stevinus*, Mathematicus inſignis, rerumque naturalium cognitione mirabilis. De cujus & mira-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

mirabili invento ſic inter alia ὁ τρισμέγιστος ille, & quavis laude major, *H. Grotius* in libr. Epigramm.

Icarios hoſpes noli trepidare volatus:
Præſcripto poteris Dædalus eſſe modo.

LAVSDVNVM ſive LOSDVNVM.

In *Templo* hujus pagi *Tumulus Comitiſſæ*, quæ uno partu trecentos ſexaginta quinque infantes edidit. Pelves ex ære illic pendent cum hac ἐπιγραφῇ.

In deeſe twee Beckens zijn alle deſe kinderen ghedoopt.

Quin & hiſtoria ibidem duplici ſermone Latino & Belgico tabulæ inſerta legitur. Latina ſic incipit, uti quidem juxta tenorem formæ authenticæ heic bona fide memoro.

En tibi monſtroſum nimis & memorabile factum,
Quale nec à mundi conditione datum.
Margarita Hermanni Comitis Hennenbergiæ uxor, quarti Florentii Comitis Hollandiæ & Zelandiæ filia, Guilielmi Regis Romanorũ ac poſtea Cæſaris ſeu gubernatoris Imperii atque Alitheiæ Comitis Hannoniæ ſoror. Cujus Patruus Epiſcopus Trajectenſis, avunculi autẽ filius Dux Brabantiæ & Comes Thuringiæ, &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Hæc autem Illuſtriſſima Comitiſſa annos quadraginta circiter nata, ipſo die Paraſceues nonam circiter horam, anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto, trecentos & ſexaginta quinque enixa eſt pueros, qui prius à Guidone ſuffraganeo Trajectenſi omnes in duabus ex ære pelvibus baptiſati ſunt, quorum Maſculi quotquot erant Ioannes, Puellæ autem omnes Eliſabethæ vocatæ ſunt, qui ſimul omnes cum Matre uno eodemque die fatis conceſſerunt, atque in hoc Lauſdunenſi templo ſepulti jacent. Quod quidem accidit ob pauperculam quandam fœminam, quæ ex uno partu gemellos in ulnis geſtabat pueros, quam rem ipſa Comitiſſa admirata, dicebat, id per unum virum fieri non poſſe, ipſamque contumelioſe rejecit, unde hæc paupercula animo perturbata ac perculſa mox tantum prolium numerum ac multitudinem ex uno partu ipſi imprecabatur, quot vel totius anni dies numerentur. Quod quidẽ præter naturæ curſum obſtupenda quadam ratione ita factum eſt, ſicut in hac tabula in perpetuam hujus rei memoriam ex vetuſtis tam manuſcriptis quam typis excuſis Chronicis breviter poſitum & enarratum eſt. Deus ille ter maximus hac de re ſuſpiciendus, honorandus, ac laudibus extollendus in ſempiterna ſecula. Amen.

Hæc lege, mox animo ſtupefactus Lector abibis.

VOR-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

VORBVRGVM.

In hujus agro oſtenditur *Collis*, quo *Caſtrum Ritzardi* Friſiæ Regis fuerit: quem velut alterum Midam ab aſininis auribus *Eſelorum*, ſeu *Elinum* ac *Aurendulium* vocant, montem vero illum *Koninck Eſeloors Berg*. Caſtrum olim erat longe munitiſſimum, & quod amplitudine ſua x jugera complexum fuiſſe referunt: poſtea vero à Danis & Normannis, terras has devaſtantibus, funditus everſum. Multa Antiquitatis monumenta ſuperiori tempore ex ruinis & ſubterraneis ſubſtructionibus ejus arcis effoſſa fuerunt: quorum mentionem præter ceteros facit V. C. *Petrus Scriverius*, in *Antiquitat. Batavicar. Tabulario.* Ante paucos annos, Amicus noſter dum viveret, *Thomas Segethus* in illo agro lapidem vetuſtiſſimum erui ſpectavit, IV plus minus pedes altum, duos circiter latum, unius craſſitudine. Ejus Inſcriptionem, quia paucis fortaſſe viſa aut cognita, ex manu Segethi huc apponam:

I. O. M.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

I. O. M SARAPI
ISIDI. FRVGIFERO
CÆLESTI. FORTVN
BONO. EVENTO
FELICITATI. LARI
VIALI. E. GENIO
LOCI. L. LVCRETIVS
PAL. FAVSTINIAN
Ↄ LEG. IMPE. PRO SE
SVISC. I. E. R. V. L. CONSAC.

Ita lego:

Iovi Optimo Maximo Sarapi
Iſidi, frugifero
Cœleſti, Fortunæ
Bono Evento
Felicitati, Lari
Viali, & Genio
Loci L. Lucretius
Palatina (ſc. *tribu*) *Fauſtinianus Centurio legionis primæ monumentum poſuit & pro ſe ſuiſque in eam rem votum libens conſecravit.*

Sive, ut Cl. *Scriverius* ſingulares illas notas in fine Inſcriptionis interpretabatur atque emendabat,

Centurio Legionis primæ Minerviæ, Piæ, Fidelis, pro ſe ſuiſque heredibus V. L. conſecravit.

Heic, ut vides, leviter quidem, ſed non minus eleganter quam vere corrigitur depra-

pravata, ſculptoris aut exſcriptoris culpa, lapidis antiqui Epigraphe. Nam pro Ↄ. LEG. IMPE reponit vir doctiſſimus Ↄ. LEG. I. M. P. F. & appoſite tres diſtinctas literulas connectit, legitque unica voce, HER. id eſt, HERedibus. Quemadmodum uberius docebit in iterata editione Tabularii ſui *Antiquitatum Batavicarum.* Ubi & inter alia monumenta in agro Vorburgano nuper eruta, profert hanc & duas alias Inſcriptiones non ſane contemnendas. Eundem etiam conſulere poteris *Animadverſionibus ad Bataviam Iunii*, propediē excudendam.

FRVGIFERO COELESTI) Prius ad Sarapin, poſterius ad Iſin referendum cenſeo.

EVENTO) Hanc vocem omnes, quibuſcum mihi hac de inſcriptione ſermo fuit, parum Latinam cenſent. Ego vero eam ſuper omnes maxime probo: atque ita effictam puto ut AVERRVNCVS, CONSUS, FIDIUS. EVENTUS igitur BONUS boni eventus dator.

LARI VIALI) Si non omnino memoria fallor, puto apud Plautum exſtare alicubi LARES VIALES: &, monente Scriverio, in alia Inſcriptione, FORTUNÆ. REDUCI. LARI. VIALI. ROMÆ. ÆTERNÆ. Pag. Inſcriptionum Gruteri LXXVIII. n. I. Locus autem Comici eſt Mercatore Act. 5. Sc. 2.

PAL.)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

PAL.) Palatina, nimirum tribu. Crebræ ad hanc formam inſcriptiones ſunt, quibus ad hominis nomen tribus quoque adjicitur.

FAUSTINIAN.) Ex hoc vocabulo conjectare libet, ſub Marci Antonini Philoſophi tempora monumentum hoc poſitum. Placere voluit aut Imperatori, aut ejus uxori Fauſtinæ vel auctor inſcriptionis vel ejus pater, adſcito aut indito à Fauſtina nomine.

DELPHI.

Delphis urbe ampla ac pereleganti dignum eſt ex iis ad quæ viſas:

I. In templo *Mauſolæum Gulielmi Naſſovii*, Principis Auriaci, ſtructura ſuperbum ac ſplendidum:

D. O. M.

ET ÆTERNÆ MEMORIÆ

GVLIELMI NASSOVII, SVPREMI ARAVSIONENSIVM PRINCIP. PATRIS PATRIÆ, QVI BELGII FORTVNIS SVAS POSTHABVIT ET SVORVM: VALIDISSIMOS EXERCITVS ÆRE PLVRIMVM PRIVATO BIS CONSCRIPSIT, BIS INDVXIT ORDINVM AVSPICIIS: HISPANIÆ TYRANNIDEM PROPVLIT: VERÆ

RE-

RELIGIONIS CVLTVM, AVITAS PATRIÆ LEGES REVOCAVIT, RESTITVIT: IPSAM DENIQVE LIBERTATEM TANTVM NON ASSERTAM MAVRITIO PRINCIPI PATERNÆ VIRTVTIS HEREDI FILIO STABILIENDAM RELIQVIT: HEROIS VERE PII, PRVDENTIS, INVICTI: QVEM PHILIPPVS II. HISPAN. REX ILLE EVROPÆ TIMOR TIMVIT, NON DOMVIT, NON TERRVIT, SED EMPTO PERCVSSORE FRAVDE NEFANDA SVSTVLIT. FOEDERAT. BELG. PROVINC. PERENNI MERITOR. MONVM. P. C. C.

Sub hoc etiam ſaxo requieſcit Illuſtriſſ. Principis Gulielmi vidua, & glorioſæ memoriæ filius Mauritius.

II. In alio *templo Monumentum* inſigne *Eliſabethæ Marnixiæ* V. N. Philippi Marnixii *Sant-Aldegondæ* F. Matronæ generoſiſſ. uxori opt. caſtiſſ. matri pientiſſ. dulciſſ. Carolus Morgan Eques P. C.

Illuſtri ſerie longæque ab origine gentis
Morgani hic conjux Eliſabetha tegor.
Marnixii ſoboles, quod non neſcitur in orbe
Nomen, & invito tempore ſemper erit.
Virtutum ſatis eſt uni placuiſſe marito,
Quod pro me loquitur tam precioſus amor.

III. In *domo Anglicana locus,* ubi Princeps Gulielmus tribus globis à nefario ſicario impetitus fuit, quorum veſtigia etiamnum ibi conſpiciuntur. Factum id An. 1584. x Jul.

Fa-

Faciem quæ Principi vulnerato fuit, ad vivum expreſſam vidimus apud Nobiliſſ. Franciſcum Douſam Neorodianum in Tuſculano ſuo Nordovici, cumque illa hos verſus:

HIC. ERAT. HEV. VVLTVS. MIHI.
CVM. MANVS. IMPIA. IBERI.
PRO. SCELVS. INNOCVO. NOSTRO.
EST. FOEDATA. CRVORE.

ROTERODAMUM.

Quaſi dicas ROTERÆ AGGER. Rotera enim fluvius urbem alluit, *agger* vero Batavis, uti & Germaniæ ſuperiori, *dam* vocatur. Quidam à Rege Francorum Ruterio denominatam, quem & ibi ſepultum tradunt. In porta, qua Durdrechtum exitur, hæc Epigraphe:

Eſt Leo CV*nctI potens* pVLC*hra qui Mœ-*
*n*I*a porta*
*S*er*V*a*b*I*t q*V*a Rotta f*LVI*t, q*V*a terra*
VI*reſc*It.

Urbs eſt ampliſſima ac ſatis nitida, portus multarum navium è maritimis regionibus, magni illius *Deſiderii Eraſmi* patria, *quo neque facundiorem neque doctiorem orbis habet, ſive quis Theologia myſteria, ſive politioris dictionis lauticias requirat,* uti de eo judicium

cium veriſſimum mihi videtur V. Ampliſſ. P. *Scriveri* in Not. ad Icon. & hiſtor. Comit. Holl. ejus *ſtatua* hodie ex ære in foro viſitur, & ſubtus hæc inſcriptio:

ERASMVS. NATVS
ROTERODAMI
OCTOB. XXVIII.
ANNO M. IVᶜ. LXVII.
OBIIT BASILEÆ
XII. IVLII. ANNO
M. D. XXXVI.

Domus etiam, quæ ipſi lucem & cunas præbuit. Sub cujus ingreſſum exterius in tabula penſili hæc leguntur:

ÆDIBVS HIS ORTVS MVNDVM DECORAVIT ERASMVS
ARTIBVS INGENVIS, RELLIGIONE, FIDE.

In dit huys is gebooren
Eraſmus vermaert
Die Godts vvoort uytverkooren
Ons vvel heeft verklaert.

En. eſta. caſa. es. naſcido Eraſmo. Theologo. celebrado. por. doctrina. ſennalado. pura. fee. nos. a. revelado.

Non poſſum quin verba Chryſoſtomi Neapolitani in de Hollandis Epiſtola ad Comitem Nugarolum heic interſeram: *Vah quan-*

quanto repente perfuſus ſum gaudio, quam bene mecum actum cenſui, cui fortunatum illud ſolum intueri contigerit, quod fortunatum ac ſalutare illud Germaniæ ſidus aliquando protuliſſet!

DURDRCEHTUM.

Ita enim ſcribendum, non ut vulgus, *Dordracum*. Eſt enim idem, quod *Duri*, ſive *Dureti forum*: quippe *Drechtum* priſcis Batavis *forum* ſignificat. Sic aliæ urbes, ut in Italia *Forum Caſſii, Forum Claudii, Forum Iulii, Forum Tiberii, Forum Fulvii, Forum Livii*, & aliæ.

Exiſtimat vero V. C. *Petrus Scriverius*, hujus urbis mentionem fieri apud Reginonem, vetuſtum & probæ fidei Hiſtoricum, ſub anno DCCCXCVIII. Cujus verba adſcribam, ut vel hinc nobiliſſimæ Urbis antiquitatem videas. *Eodem anno* (898. inquit) *Zundibolch Reginarium ducem fidiſſimum & unicum conſiliarium, neſcio cujus inſtinctu, à ſe repulit, & honoribus, hæreditatibuſque, quas in ſuo regno habebat, interdictis, eum extra regnum infra quatuordecim dies ſecedere juſſit. Ille adjuncto ſibi Odocro comite & quibuſdam aliis cum mulieribus, parvulis, & omni ſupellectile, in quendã tutiſſimum locum, qui* DURTOS (ita legit Scriverius, pro

DUR-

DVRFOS) *dicitur, intravit, ibique ſe communivit. Quod cum Rex cognoviſſet, coadunato exercitu Caſtrum expugnare conatus eſt; ſed minimè prævaluit propter paludes, & multiplices refuſiones, quas in prædicto loco Moſa fluvius facit.* Et quæ ſequuntur.

Eſt autem Durdrechtum urbs in ipſis lacuum, quos Moſa Vahaleſque efficiunt, undis ſita, opibus & fama inter alias longe princeps, & Batavicarum Metropolis, Synodo Nationali ante paucos annos ob dogma Arminianorum ſeu Remonſtrantium habita celebris. Gaudet hæc inter omnes Hollandiæ Civitates jure cudendi monetam.

Officina Numaria ſplendide exſtructa eſt, & illi hoc adſcriptum:

MONETA
DIVO. CAROLO. V. CÆSA.

DIT. IS. DE. MVNTE.
DES. ROM. KEYSERS &c.
ENDE. GRAEFFELICK-
HEYTS. VAN. HOLLANDT.

Pone exſtant hæc elogia Pecuniæ:

PECVNIA EFFECTRIX MVLTARVM VOLVPTATVM.
PECVNIA VINCERE SPECIOSVM NON EST.
PECVNIA MATER BELLI.

Præ-

Prætor & Conſules illius urbis inſignia comitatus adepti, & ſtipatoribus haſtatis per vias utuntur: quod nulli alias Magiſtratui præter ſupremum Gubernatorem in Provinciis conceſſum.

Atque heic in termino Hollandiæ Pluto & Dius Sancus Terminalia me figere jubent. Ulterius enim ad vicina pedem non extuli, facturus id BONO cum DEO in poſterum. Interea preces has ad divinum Numen calore quodam devotionis effundo:

En Deus heic adſum, jam Te præeunte paratus,
Quo Tua me bonitas duxerit, ire vias.
Tu mihi ſis animæ cuſtos, & corporis hujus,
Sive ſalum jubeas carpere, ſive ſolum.

FINIS

Omnibus unus.

IOSE-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

IOSEPHI SCALIGERI

Epigramma

DE

MIRANDIS BATAVIÆ,

Ad Ianum Douſam V. Nob.

Ex viri illuſtris Poëmatum editione Scriveriana, pag. 43.

Ignorata tuæ reſeram miracula terræ,
Douſa, peregrinis non habitura fidem.
Omnia lanitiũ hic laſſat textrina Minervæ,
Lanigerum tamen hinc ſcimus abeſſe gregem.
Non capiunt operas fabriles oppida veſtra,
Nulla fabris tamen hæc ligna miniſtrat humus,
Horrea triticeæ rumpunt hic frugis acervi,
Paſcuus hic tamen eſt, non Cerealis ager.
Hic numeroſa meri ſtipantur dolia cellis,
Quæ vineta colat nulla putator habet.
Hic nulla, aut certe ſeges eſt rariſſima lini,
Linificî tamen eſt copia major ubi?
Hic mediis habitatur aquis. quis credere poſſit?
Et tamen hic nullæ, Douſa, bibuntur aquæ.

Idem Græce ibidem legitur, ipſo fine Silvæ carminum.

CASPA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

CASPARIS BARLÆI ENCOMIA URBIUM

Præcipuarum Hollandiæ,

Ex ipſius Poëmatis deſumpta.

DORDRECHTUM.

A me Batavicus ſuffragia prima Senatus,
Conſiliiſque petit provida verba ſuis.
Quondam merſa mari mediis emergere nitor
Fluctibus, & ſiccos Veſta reducit agros.
Neptunus cedit Cereri, fluitantia Fauno
Numina, & æquoreus fit minor uſq; Deus.
Merva meis miſcetur aquis: hoc Linga profundo
Labitur, & Vahalis flumina Moſa bibit.
Huc Tongri merces, & ferri munera mittunt,
Et Nemetes plenis muſtea vina cadis.
Pomifer Autumnus mediam transmigrat in urbem,
Vaſtaque Eburonum marmora cæſa jugis.
Quiſq; ſuas largitur opes, & dona miniſtrans
Diſtrahit imperio munera tanta meo.
Virgo vocor, quondam furiis illæſa Brabantum,
Solaque libertas mœnibus hiſce ſtetit.
Tunc Batavas inter vigui non victa ſorores,
Vnaque dum manſi libera, prima loquor.

HARLEMUM.

Victa Pharos, fractique obices, & vincula Nili,
Et Peluſiaco littore fixa ratis,
Serratique mihi recitant encomia dentes,
Et procul externo ſidere ſurgit honos.
Invidet excuſas populoſa Moguntia Muſas,
Quodque meum eſt, laudis jactitat eſſe ſuæ.
In me alium ſolers Batavus miratur Apellem,
Pictaque Parrhaſia ſubdola vela manu.
Inventis arguta meis accedit Arachne,
Dædaleoque ſuum pollice texit opus.
Arma Toletani ſenſi crudelia Martis,
Incubuitque meis civibus atra fames.
Nec ſatis eſt pugnaſſe viros. his maſcula portis
Pro patria mulier ſtat cataphracta ſua.
At fruſtra me Delpha juvas. ſum præda Philippo,
Barbaricus victa miles in urbe furit.
Hæc didici, voluique pati. Nunc adſpicis hoſpes
Tempora fortunæ proſperiora meæ.
Hic mihi vicina Nereus admurmurat unda,
Et propius colles tollit arena ſuos.
Illic umbroſis ſe condit Delia lucis,
Explicat & lætas arbor opaca comas.
Diviſam me Spara ſecat, qui laxior undis

Fit

Fit lacus, & vaſtis luxuriatur aquis.
Arridet Natura foris. ſed doctior in me
Æmula Naturæ crebra reperta manus.

DELPHI in Batavis.

Non ego fatidicis oracula ſuggero Delphis:
Aut mea falſiloquus mœnia Phœbus habet.
Ætherei reſponſa patris do civibus, & me
Relligio, Graium non beat iſte furor.
Infelix rapidis flagravi tota favillis,
Cum rogus, & ſimplex nil niſi flamma forem.
Condiderat tantos ſecura oblivio caſus,
Cum Patriæ media concidit urbe Pater.
Quid rides Hiſpane? tui quoque nominis umbram
Cernimus, atque iſta cæde Philippe cadis.
Venales animas in mortem inſontis acerbas,
Venditur at precio regia fama ſuo.
Nunc tu Belga duos uno ſub marmore Martes
Adſpice, Naſſoviæ nomina magna domus,
Mauritium, Patremque, Duces: hæc numina ſenſit,
Et tutelares terra Batava Deos.
Sed magis Henricum fuerit genuiſſe. quid horres
Cantaber? en patrii funeris ultor adeſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

LUGDUNUM.

Crevit ab Auſoniis olim mihi fama triumphis,
Et victrix de me præmia Roma tulit.
Reddidit ereptos fugiens Hiſpanus honores,
Dum pro me totus militat Oceanus.
In me terra famem, querulos diſcordia cives,
Et falces acuit mors furibunda ſuas.
Vix nocuit ſecurus Iber. quas ſtruxerat arces,
Deſerit, & pavidos excipit unda pedes.
Dum patriæ pars magna perit, conſervor ab illa;
Totaque ne pereat, ſic periiſſe cupit.
Nunc mihi Apollineos meruit ſors iſta receſſus,
Martiaque imbellis mœnia Phœbus habet.
Præ lituis pax alma placet; præ milite Pallas,
Linguaque Romanos apta referre modos.
Sit bellum ſenſiſſe ſatis. Iam prælia dicto,
Et mea facundis vocibus arma lego.
At mihi plus debet Pietas: dum pellitur exul
Flandria, & hoc gaudet vivere tuta ſinu.
Hoſpitiũ cum dem profugis, atque otia Muſis,
Vis dici doctam me magis, anne piam?

AMSTELODAMUM.

Urbs ſpacioſa potens opibus, tectiſq; ſuperba,
Viribus invidiam, crimina lege domat.

Civibus aucta novis nunquam ſtat finibus
iiſdem,
Latius expanſis mœnibus hoſpes abit.
Invertas, ſit tota nemus quo condita fundo eſt,
Nuper Hyperboreo pinus in orbe fuit.
Quicquid mortalis fingit ſolertia curæ,
Vel natura ſuo parturit alma ſinu;
Illa dabit, totoque parans commercia mundo
Nunc emere, & totã vendere ſemet amat.
Has adfert, has trudit opes, ſic lucra parantur.
Quid valeat fraus, ſors, ars, mare, terra;
docet.
Moſchus, Arabs, Perſa, Maurus, Iudæus;
uterque
Quod ferat huc, rurſuſque auferat, Indus
habet.
Hanc dum mundus adit, mundumque hæc
ipſa pererrat,
Non urbs fixa loco, ſed vagus orbis erit.

GOUDA.

Iſala ſic cedat Vahali, Rhenuſque bicornis
Hæc quoque nata ſuis flumina jactet
aquis:
Attamen hunc tectis exornat Gouda ſuperbis,
Læta ſitu, ſtudiis æmula, clara viris.
Hinc natura ferax, illinc concordia cives
Nec ſinit aut inopes, aut nocuiſſe malos.
Templa parat ſpatioſa Deo: nec quilibet illi
Horrendi culpam criminis error habet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Bella premant alias, hæc eſt ſecurior, urbes,
Nec placidos turbant tympana rauca lares.
Exulat Odryſius, litui, Bellona, triumphi.
Relligio, probitas, pax ſociata manent.

ROTTERODAMUM.

Inclyta veliferis pulſat mea mœnia Moſa,
Parte alia placiais Rottera lambit aquis.
Occiduum late commercia porto per orbem.
Gallia quas poſcit, quaſque Britannus opes.
Hic meus Auſonii vindex ſermonis Eraſmus
Vagiit, & cunis abdidit ora ſuis.
Mæoniden jactet Colophon, Verona Catullum,
Sufficit ad laudes hunc genuiſſe meas.
Nunc tantum fragili veneror ſub marmore numen,
Dum ſilet in medio lingua diſerta foro.
Quem genui, Baſilea tegit, Sapientia fatis
Eximit, & cineri vult ſupereſſe ſuo.
Me timet Hiſpanus, timuit grex barbarus ipſum,
Ille meis victus claſſibus, hic calamo.

GORICHEMUM.

Adſpicit invictis hanc cinctam mœnibus urbem,
Quē Vahalis, vel quē flumine Linga vehis.
Adſpicit Heſperiis quæ propugnacula bellis:

Quam

Quã fremat excuſſis machina crebra pilis.
Adſpicit adverſo quantum ſe opponat Ibero,
Invigiletque ſuis Martia dextra focis.
Sic didicit bellare ſibi, nec milite ſolum
Tuta, ſed ipſa ſuis civibus eſſe cupit.
Erkeliis quondam ſubmiſit ſceptra Dynaſtis:
Hæc quoque jam damnans nomina tota ſua eſt.
Cur toties Batavum depingis Belga leonem?
Qui patriam cuſtos aſſerit, iſte leo eſt.

BRIELA.

Adſpice vicinam noſtro de littore Thetyn,
Hic ubi Moſa ſuis laxior exit aquis:
Briela vocor, feſſis ſtatio ſecura carinis,
Nunc quoque Vorniaci gloria prima ſoli.
Najades hinc, illinc agreſtia numina Fauni,
Et fœcunda meos ſpectat Eleuſis agros,
Albano ſurrepta Duci crudelia ſprevi
Imperia, & faſces Bætica terra tuos.
Aprilis lætas faſtis inſcribe Calendas
Belga, nec hoc optes non ſuperaſſe die.
Scilicet illa dies, qua me vicere Batavi,
Vlterius vinci noluit Auriacum.

ALCMARIA.

Tota paludoſis Alcmaria ſurgit in undis,
Pulchraque, Verona depereunte, nitet.

Ne Latium præfer Bajas, aut Theſſala Tempe
Græcia, vel campos Brixia terra tuos.
Proxima Nereidum ſpumantes adſpicit undas,
Proximaque umbroſas ſpectat Hamadryadas.
Serica Sidoniis decurrant ſtamina portis,
Hic laſſant Batavas linea fila manus.
Quæque tegant nudos velamina ſufficit artus,
Et memores primi nos cupit eſſe mali.
Heſperios ſprevit bellis infracta furores,
Bæticaque affuſis caſtra fugavit aquis.
Pugnavere viri. ſed & hic (ſpectaſtis Iberi)
Fœmina pugnanti porrigit arma viro.

HORNA.

Fortia, cantatus quondam, mea mœnia Flevus
Alluit, & portus verberat unda meos.
Æmula me vultu ſpectas Enchuſa ſiniſtro,
Et cauſam litis me cupis eſſe tuæ.
Accipe placatas æterno fœdere dextras,
Dum pereat junctis viribus hoſtis Iber.
En tecum commune ſalum, commune profundum
Navigo, & in mediis pabula ſector aquis.
Iam mea Cimbrorum redimunt commercia terræ,

Fœta-

Fœtaque Gotthorum carbaſa pertus habeet.
Nunc onerat noſtras palagi captura carinas,
Terrenoſque fovet præda marina Deos.
Me ferit, & lædit : me ſervat ab hoſtibus æquor.
Sic ſervaſtis aquæ, ſic nocuiſtis aquæ.

ENCHUSA.

Arcta, frequenſque domus nomen mihi fecit & urbem;
Primaque contemptæ tecta dedere caſæ.
Navita me jactat pelago, mea rura colonus
Laudat, & hinc terra claudimur, inde mari.
Abſcidit adverſas à noſtro littore gentes,
Et Friſios mediis dividit æſtus aquis.
Albani ſprevi furias, nec victa tyranno
Oceani proles intemerata ſteti.
Pandit vaſta meis Neptunus regna carinis,
Et procul à patriæ ſedibus exul eo.
Quæro foris, quæ parca domi natura negavit,
Quæque domi tribuit plurima, porto foras.
Belga tuos mirare Deos, dum munera mundo
Dividis, ex alio ſidere plura refers.

Hactenus Cl. Barlæus.

In Domum Indiæ Occidentalis, quæ eſt Amſtelodami.

Hæc Occidentis India dicta eſt domus,
Domus puſilla, ſi modum ſpectes loci,
At intus ingens panditur rerum penu;
Hic Mexicanus, Peruanus hic ſinus,
Havana, Lima, & Potoſi dites ſpecus;
Guinea, & omne id, qua ferax auri eſt, ſolum;
Seu Nigir id fert, ditius Tago vadum.
Horum omnium hic ſunt promus & condus ſimul.
Tum quas Iberus victor, ut victos premat,
Terræ ex profundo ducit, hic gazas vides:
Hucque inferuntur, nauta vel perdit mari.
His petimur armis. hæc niſi vincas, necant.
Non Indiæ igitur, eſt ſalutis hæc domus.

Ioh. Iſaacius Pontanus
4. Kal. Dec. 1628.

Typographus Lectori.

Pagellis duabus, alioqui vacaturis, heic exhibere viſum duas inſcriptiones, nuper in Batavis erutas, ope & conſilio V. C. *Petri Scriverii*, qui utramque nobis ſubminiſtravit, atque alteram interpretatione ſua illuſtravit, uberius alibi explicandam. Inventæ autem ſunt in agro Vorburgano (quod *Forum Hadriani* eſſe in Tabula Itineraria

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

raria Peutingeriana, exiſtimat idem Scriverius) anno cIↃ IↃcxxiv, & anno cIↃ IↃcxxv.

1. Lapis effoſſus xv. Novemb. a. 1624.

IN. H. DD.
GENIO. COLLE
GI. PEREGR
ULP. DECEM
BER. ET. VERE
CUND. COR
NUTUS. DD.

2. Lapis effoſſus xvii. Martii a. 1625.

I. O. M. IUNONI. RE
GINÆ. MINERVÆ
ET. GENIO. LOCI. T. FL.
PEREGRINUS. Ə
LEGIMIN. PRO. SE
ET. SUIS. V. S. L. M
DUOBUS. SILA
NIS. COS.

Hoc eſt:

Iovi Optimo Maximo, Iunoni Reginæ, Minervæ, & Genio Loci, T. Fl. Peregrinus, Centurio Legionis primæ Miner-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

nervia pro ſe & ſuis votum ſolvit lubens merito, duobus Silanis Conſulibus.

In lapide legit vir Doctiſſimus LEG. I. MIN. Cujus Legionis primæ Minerviæ cum alibi, tum in fragmento alterius lapidis non longe à *Caſtris Albinianis* (*Alfen* vulgo) jamdudum effoſſi, atque domui ruſticanæ inſerti, *opten Hogenburg*, mentio fit hujuſcemodi:

LEG. I. M. Id eſt, LEG. I.
MINERVIÆ, &c.

Plura in Tabulario *Antiquitatum Batavicarum, & Animadverſionibus ad Bataviam Iunii.*

FINIS.

ABRAHAMI ORTELII

ET

JOANNIS VIVIANI

ITINERARIVM

PER NONNULLAS

GALLIÆ BELGICÆ

PARTES.

Ad Clariſsimum virum

GERARDVM MERCATOREM, Coſmographum.

Editio tertia, caſtigatior Plantiniana anni M.D.LXXXIV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

ABRAHAMUS ORTELIUS,

ET

JOANNES VIVIANUS,

Gerardo Mercatori S.P.D.

Cum litteras tuas accepiſſemus, Mercator, ſub ipſum tempus, quo hinc diſcedebamus, viſum eſt, non prius ad eas reſcribere, quam confecta tandem qualicunque ea, quam nos ſuſcepiſſe jam intellexeras, peregrinatione: futuras enim tibi noſtras longe gratiores, ſi una attexeremus, ſi quid in ea obſervatione dignum occurriſſet. non quod ſperaremus poſſe quidquam ex locis tam nobis vicinis annotari quod non omnibus eſſet notum: ſed tamen cum partem eam Galliæ noſtræ, tot paſſim omnium temporum hiſtoriis celebrem, à nobis vero non viſam, certum eſſet peragrare, & ſine lite-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

ris eſſe non poſſemus, videbatur potius quidlibet commentari, quam ut eſſemus toto eo itinere otioſi. tum quod hac ratione, quæ ſemel vidimus, ſecurius memoriæ mandentur, commentariola hæc noſtra nobis ipſis uſui futura videbamus, tibi vero non injucunda, qui cum eas regiones aliquando diligenter perluſtraveris, juvabit eaſdem quotieſcunque libuerit tecum domi atque adeo ſine itineris moleſtia recognoſcere. Fuit autem nobis iter per fines Tungrorum, Eburonum, Trevirorum, Mediomatricorum, ut quondam vocabantur, & reliquorum eorum populorum, qui Germanicæ originis cum eſſent, in Gallia tamen ſedes habebant, atque inter Belgas recenſebantur. Gallia ſiquidem hæc noſtra, quæ mari Oceano, Sequana & Rheno fluminibus continetur, ut politioribus litteris primum innotuit, à Belgis ſub variis populorum nominibus tenebatur; & pars quidem eorum erat, qui indigenæ tunc putabantur; reliqui qui aliunde, & præcipue è Germania, quales & illi de quibus jam diximus, tranſmiſſo Rheno eo confluxerant. Hæc nomina, etiam cum Gallia omnis ſub pop. Romani redacta eſſet imperio, maxima ex parte manſerunt in ea gente; & nonnulla quoque populorum cum fuiſſent, oppidis ipſis, qui in iiſdem regionibus quas in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

incolebant illi, vel tunc erant, vel poſtea condita fuere; nonnulla denique illis ipſis regionibus, poſtquam terrarum facta eſt diſtinctio exactior, attributa, ad hanc uſque memoriam propagata, incolumia, vel certe non ita multum immutata, videmus. Sed fuit & alia tandem ſub Romanis Cæſaribus Galliæ Belgicæ partitio. nam quidquid ad Rhenum erat, quia à Germanis, ut nuper diximus, habitabatur, Galliæ nomen amiſit, ac in *Germaniam primam*, in qua Maguntiacum, & *ſecundam* eſt diſtributum. & in hac quidem Agrippinenſes, qui Ubii antea vocabantur, & Tungri erant. ut reliqua quoque pars, *Belgicæ primæ*, & *ſecundæ* appellationes ſortita eſt. Succeſſit deinde illud tempus, quo Romanorum Cæſarum relangueſcente adminiſtratione, exteræ nationes magna colluvie in Italiam ipſam, & in Gallias irruptionem fecerunt, & Barbarico furore omnia commiſcentes, novas etiam commentæ ſunt appellationes, & nata Auſtraſiæ ac Weſtraſiæ regna, crebræque regnorum ac dominiorum commutationes, prout quæque earum altera alteram exturbabat: & hæc fere uſque ad Caroli Magni Aug. ætatem, ſub cujus nepotibus alia denique exorta rerum facies, quando quidquid inter Rhenum erat, & Scaldim, cum in partitione, quæ facta eſt inter Ludovici Pii filios,

lios, Lothario obveniſſet, longo deinde tempore, Lotharii regnum, (*Lotrijck*) & Lotharingia, nuncupatum eſt: donec tandem deficiente ea proſapia, in varias, ut adhuc nunc eſt, provincias divelleretur. atque ex eo quantæ rerum omnium ſubſequutæ ſint commutationes, non facile eſſet enumerare. Et ſunt hæc tibi, Mercator, notiſſima; nec dubitamus, quin hic potius utendum putes Strabonis conſilio, monentis, ea quæ à Principibus, dum reipublicæ temporibus obſequuntur, fuerint immutata, non uſque adeo diligenti proſequenda ſtudio: ut nec in illis curioſius immorandum, quæ ſunt à nonnullis memoriæ prodita de hujus gentis origine, quam ab ipſo uſque Gomero Japeti filio deducunt. Hæc ut vera ſint, noſtra non indigent approbatione, ut nec ſuppetit quo contraria refellamus. Antiquiſſimum certe eſt apud omnes ſcriptores, & celebre Celtarum nomen; ſic enim ipſi ſe ſua lingua nominabant, quod Cæſar Julius in ſuis commentariis proprium ejus gentis facit, quæ partem illam incolebat quæ inter Sequanam eſt, & Garumnam. Ut Galli vocarentur, Romano ſcilicet ſermone, nonniſi, ſero, teſte Pauſania, uſus obtinuit. Veriſimile autem eſt, eo primum tempore auditum id nomen, quo & ipſa Gallorum arma; cum ſub Tarquinio Superbo rege, ſuperatis Alpibus, in

Ita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Italiam deſcenderunt. Siquidem & illi Senones è Celtis erant, manetque etiam nunc eorum nomen in ea parte Galliæ quæ eſt inter Sequanam & Garumnam, ubi *Sens* ipſorum lingua dictum oppidum, ad Yonam flumen. Ex Celtis ſuos Galatas Græcos feciſſe, & ab hoc Gallorum nomen formaſſe Romanos, eſt veriſimile, quod primum, ut ſupra diximus, Celtarum proprium fuit: ubi vero & reliquæ partes eis innotuere, Galliæ eſt nomen factum commune. Ac primum ſub ipſo C. Cæſare Belgæ ſunt à Romanis cogniti, Gallorum omnium, ut ipſe teſtatur, fortiſſimi. Unde *Belgarum* nata ſit appellatio, nec ipſe tangit, nec quiſquam veterum, de Barbaris, ſibique ignotis vocabulis parum, ut videtur, ſolliciti. Annales noſtri, ſi ſit illis quidquam tribuendum, quandoquidem & ipſe Cæſar quæ in ſuis commentariis retulit, ex ipſorum Gallorum ſe fatetur habuiſſe relatione (quamvis ille quidem propior ſuperiora illa tempora attingeret) ii ergo à Belo Deo dictum fuiſſe memorant oppidũ amplum, ſeu potius civitatem in medio ipſius Belgii, quæ cum late rerum potiretur, omni etiam regioni ac populo nomen dediſſe; atque ex ejus reliquiis *Bavacum* nunc reſtare oppidulum loco eminenti ſitum, multiſque adhuc antiquitatis viſendum monumentis. Cæſar *Belgicum* vocat, ubi firmiſſima collo-

caba

cabat præſidia, exiſtimans hac potiſſimum ratione tutiſſimam Galliam ſi Belgium quietum foret, quod inde præcipui motus timerentur, & ipſum ibidem ſæpius hiemaſſe legimus. Videtur tamen alicubi *Belgium* cum *Bellovacis* confundere, & Belgium pro regione habere. Sic enim lib. v. cum dixiſſet: *Tres legiones in Belgio collocavit. his M. Craſſum quæſtorem, & L. Munatium Plancum, & C. Trebonium præficit.* mox cum illis opus haberet ad liberanda Q. Ciceronis hiberna ab Ambiorigis obſidione, ſubdit: *Statim nuntios in Bellovacos ad M. Craſſum quæſtorem mittit.* niſi dicamus, Bellovacos quoque Belgii partem fuiſſe. ſiquidem & hi in medio fere ſunt Belgicæ, & ab eodem Cæſare præcipuis laudibus celebrantur. Ceterum de Belo non conſtat unde ea religio ad Gallos manarit: videtur quidem ab Aſſyriis ſumpta, apud quos Bel Sol erat, & quadam ſacrorum ratione pro Sole & Saturno colebatur, quemadmodum & apud Gallos loco ſupremi cujuſdam numinis erat. nec enim tam præciſe ſuum cuique deorum aſſignabant officium, ut eſt à Græcis factitatum. Et licet ejus rei nulla exſtent apud politiores ſcriptores teſtimonia, non abſurdum tamen ſit, Aſſyrios, cum latiſſime imperarint, ſuam etiam religionem cum plurimis nationibus communicaſſe, quod Ro-

ma-

manos poſtea feciſſe legimus. Herodianus ſane facit mentionem Belis, quem Aquileienſibus, qui tunc Gallica gens erant, patrium numen fuiſſe, & Solis loco habitum refert. Sed hæc ut de re dubia, atque ob altam antiquitatem obſcura, ſit protuliſſe ſatis, & aliorum penitiori indagationi locum relinquentes, ad ſuſceptam peregrinationem properemus. Hic vero, Mercator, ne grave ſit urbium noſtrarum, quæ ſunt omnium notiſſimæ, breves deſcriptiones percurrere. unde hanc ordimur narrationem, ut reliqua deinde ſuo ordine ſubſequantur.

Prima Antverpia profectis ad IIII. M. eſt

MECHLINIA

ad Diliam flumen, loco plano, in agroque fertili, terra levi, ac ſubarenoſa, omnigenum fructuum feraci, modo debitus cultus impendatur. urbs mœnibus, & ſitu inprimis munita, ob aquarum copiam, quibus ex Oceano per Scaldim, ſtatis temporibus ad hunc uſque locum reſtagnantibus, facile, quotieſcunque uſus requirit, circumjacentem agrum magna ex parte inundare faciunt. Exigua admodum ejus feruntur initia, & quod magis mirere, non ita lon-

longo temporis tractu, in eam, qua nunc eſt, amplitudinem excreviſſe. Sic enim, cum ea de re quæreremus, nobis retulit Jacobus Suſius noſter, reconditæ vir eruditionis, quondam hoc loco nihil fuiſſe præter ædes illas veteris ſtructuræ juxta Divi Remboldi Sacellulum, ad quas, medio ſcilicet itinere inter Bruxellas & Antverpiam, peregrinantes divertebant. His pro inſigni erat Divus Michaël Archangelus, aut, ut alii referunt, hoſpitis nomen erat Michaël, quod vernaculo ſono *Machiel* efferunt, & inde nomen urbi manaſſe, detorto paulatim in *Machlen* vocabulo. Alii aliam hujus nominis rationem adferunt ex verſibus quibuſdam, ſumptis, ut videtur, ex Itinerario quodam Imp. Maximiliani ejus nominis I. Aug. ejuſque tempore ſcripto, qui ſic ſe habent:

Tandem pervenit ad urbem;
Vrbem quam veteres quondam dixere Salinas:
Quæ quia multorum cauſa exſtitit illa malorum,
Dum non vult dominas Eburonum agneſcere gentes,
Nomine mutato juvenes dixere Malinas.

Ubi tamen poëticam potius alluſionem, quam fidem hiſtoricam agnoſcas, cum nominum etymologiæ ex cujuſque gentis vernaculo melius, quam ex peregrino ſermone

mone petantur. His initiis cœpit Mechlinia, nunc ædificiorum venuſtate, viarum apta & eleganti diſpoſitione, pontibus lapideis, templis præterea ac turre altitudinis admirandæ, inter omnes Belgicas urbes conſpicua. In hac ſummus eſt Senatus, à Carolo Burgundo, regis Philippi abavo, inſtitutus, unde plurimæ Belgicæ civitates jus petunt. Claret & viris doctis, & ingenioſis artificibus artis pictoriæ, ſtatuariæ, & præcipue artis fuſoriæ magiſtros inſignes alit. Hinc

LOVANIUM

venimus, quæ IV itidem diſtat M. Oppidum amplum, quodque Ducatus Brabantiæ antiquiſſimum creditur: ejus ſane proceres in publicis ejus Ducatus Ordinum conſeſſibus principem locum tenent. Qua intratur collis eſt, in cujus jugo arx vetus, & fanum Divo Ioanni ſacrum, puteuſque profunditatis admirandæ, ex quo aqua gelidiſſima hauritur. Hinc verſus forum ſenſim deſcenditur, ubi curiam non tam amplo quam formoſo opere exſtructam, & è regione Divi Petri Baſilicam videas. Hujus urbis præcipua ſunt ornamenta litterarum ſtudia, & viri docti, qui hic, ſi uſquam in tota Belgica, ſingulis temporibus floruerunt: & ad hos uſus magnifice

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

exſtructæ ædes quamplurimæ. ſitus amœnus, ſeu quem ſilvæ, ſeu altis in collibus vineta delectant; & vina quidem quæ ſecurus bibat Muſarum alumnus, & hæc vel intra ipſa mœnia vel non inde procul. habet & ſuos pratorum viridantium proſpectus, & agrum non infertilem. Ad hæc aëris ſalubritate ac civium erga advenas comitate ſingulari commendatur : ita ut ad litterarum ſtudia nihil hac urbe accommodatius eſſe poſſit. De ejus initiis aut nominis origine nobis nihil conſtat. Nam quod *Lupoſinam* ante C. Iulii Cæſaris tempora appellatam fuiſſe nonnulli tradant, fabulæ quam hiſtoriæ ſimilius ducimus. Sigebertus Gemblacenſis *Caſtrum Löven* vocat, ut & hodie adhuc lingua vernacula dicitur. &, an. ſal. DCCCLXXXIIII Normannos hic caſtra poſuiſſe contra Imp. Carolum Aug. Craſſum cognominatum, ſcribit : eratque tunc in confinio regni Lotharii. Poſtea Comitatus titulum obtinuiſſe, eorum annales referunt. Sed prodibunt hæc aliquando in lucem, Deo volente, locupletiſſime tractata Petri Divæi, viri doctiſſimi ſtudio, & diligentia : qui quanto ſit in veteri hiſtoria explicanda acumine, editus jam de Galliæ Belgicæ antiquitatibus liber ſatis declarat; & ipſi teſtes eſſe poſſumus, quam ſit ad reliqua exſequenda copioſa inſtructus ſupellecti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

lectile, qui eum coram his de rebus diſſerentem audivimus, atque eo nomine plurimum nos Lovanio debere fatemur, quod hic eum convenire, & familiaritatem contrahere licuerit. Hinc

GEMBLACUM

ire placuit, ut inſignem illam bibliothecam librorum manuſcriptorum, quæ in eo ferebatur eſſe cœnobio, videremus. Nec nos ea fefellit opinio, adſervantur enim hic optima exemplaria quamplurima, & librorum præcipue, qui rem theologicam tractant, quales ſunt veterum religionis noſtræ antiſtitum lucubrationes, & quicunque ab eo tempore ſcripturam ſacram Latine ſunt interpretati: nam ex Græcis nullos vidimus. Adſunt & poëtarum, & oratorum opera, & quidquid ad Latinas facit litteras: aliquorum & diverſa exemplaria, quorum tamen nonnulla, quæ etiam habet catalogus, hoc tempore deſiderantur. Hiſtoriarum præterea videre eſt longo ex ordine diſpoſita volumina, & inter ea Sigeberti ſui memoriam ſancte conſervat: qui quondam in hoc eodem agens cœnobio, Chronicon illud ſuccinctum quod paſſim habetur, concinnavit, atque ab imperio Valentiniani Iun. & Gratiani Augg. exorſus, ad ſua uſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

que perduxit tempora. Vixit autem ſub Henrico ejus nominis III Aug. & anno MCXII diem clauſit ſupremum. Scripſit & alios libros, qui itidem hic extant, nonnullos proſa, alios & metro, quibus de omni litteratura optime eſt meritus, quantum ferebat illa ætas. quæ & utinam tales multos tuliſſet: certe non tam mutilam haberemus illorum temporum hiſtoriam, quæ inſignes rerum commutationes tulerunt, & ipſius Romani Imperii, quo nullum fuit unquam illuſtrius, ab exterarum nationum colluvie devaſtationem. Cœnobium vero hoc ſuum inprimis nobilitavit. Lovanio Gemblacum quæ VI diſtant M. iter eſt arduum ut plurimum, & ſaltuoſum, per eam Brabantiæ partem quæ GALLO-BRABANTIA nuncupatur. Ad V fere M. prope pagum *VValheim* vulgo dictum, cernuntur in loco edito, & ab omni parte conſpicuo tumuli duo terrei, rotundi, & faſtigiati, gramine veſtiti, & arbuſtis incincti. quos cum manu aggeſtos judicaremus, videbantur ad Romanorum poſſe referri tempora. illos ſiquidem tumulos ejuſmodi exſtruere ſolitos, quos & cippos vocabant, ut militum ſuorum qui in acie occubuiſſent reliquias tegerent, paſſim teſtantur hiſtoriæ. Sic apud Tacitum Germanicus Cæſar cladis Varianæ reliquias condi curavit, & ipſemet

pri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

primum exſtruendo tumulo ceſpitem poſuit, gratiſſimo in defunctos munere, & præſentibus, inquit ille, doloris ſocius. Hic ad viam venimus rectam, & ſupra vicinos prominentem agros, quæ ad Tungros pertingere diceretur, Bavaci, cujus ſupra meminimus, initium capiens, unde & plures ejuſmodi vias militares ad celebriora quæque Galliæ oppida ducere. Stratas fuiſſe has olim ſaxis grandioribus indicant eorum quæ multis in locis adhuc reſtant fragmenta: nunc gramine ut plurimum virent, ſub quo induratum ſolum ſilice minuto, ſeu glarea advectitia, ut videtur, cum his in locis nuſquam reperiatur. vulgus vias has omnes vocat *les Chauſſies de Brunehault*, quod regis Belgarum nomen fuiſſe volunt, qui etiam ante Romana tempora late rerum ſit potitus. Videtur tamen Gotthicum potius quiddam ſonare: atque mirum, C. Cæſarem, diligentem alioquin ſcriptorem, rei tam præclaræ nullibi meminiſſe. Sed fruamur his noſtris, quatenus politiores non exſtent, quæ hujus rei meminerint hiſtoriæ. De Brunehilde quidem Sigeberti uxore, quæ mortuo marito Metenſibus & Sueſſionibus imperabat, ſcribit idem Sigebertus; eam ſcilicet ædificia admirandi operis conſtruxiſſe, ut miraculo fuerit tanta ab ea fieri potuiſſe.

Ipſum porro *Gemblacum* (ut unde ſumus digreſſi revertamur) oppidulum eſt ſitu aſpero, nempe contra collem, præcipitiis & profundis vallibus ab omni fere parte circumcinctum, niſi qua orientem ſolem ſpectat, quod ſummum collis jugum eſt. ad radices fluit *Lorno* vulgo dictus fluviolus, qui circa *Gemep* vicum Sabi miſcetur. Cœnobium, de quo jam diximus, Divo Huberto dicatum eſt, ipſa ædificii vetuſtate venerandum, & nobile. quod Platina in Stephano VII à quodam Guiberto Lotharingiæ principe propria impenſa extructum ſcribit. atque de eo tale diſtichon in templo parieti adſcriptum legimus:

VNVM D. SCRIBIS, C. IIII. X. BIS, ET I. BIS,
DVM CLAVSTRVM PER TE FIT GEMBLACENSE GVIBERTE.

Ordinis eſt ſancti Benedicti. Abbas Comitis titulum gerit, primumque inter Nobiles obtinet locum in conſeſſu Ordinum Brabantiæ, at inter Eccleſiaſticos proceres poſtremum.

NAMURCUM

hinc toto fere itinere deſcenditur, ad III M. Oppidum eſt Comitatus titulo inſigne, & ſummo ejuſdem Comitatus Senatu.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

natu. Sabis fluvius hoc perluit: habetque à ſiniſtra præcipuam ejus partem, quæ plana omnino eſt, foro rerum venalium, curia, templis, multiſque ædificiis lapideis exornata: à dextra, montis alluit radices, ad quas ſunt & privatæ ædes multæ, & ſupra eas arx alta & munita, ædificioque ſpectabilis. hinc ad ipſa mœnia idem Sabis, ubi & pontem videas lapideum, in Moſam intrat. Moſa ſuum quoque habet pontem operis lapidei, & ſecundam hanc claudit urbis partem, in qua arcem eſſe diximus. Eſt quoque in ea ipſum templum primarium, ſeu parochiale, ut vocant, D. Virgini conſecratum. Unde colligi poſſet, primam urbem hoc loco fuiſſe intra utriuſque amnis confluentem, Moſæ ſcilicet ac Sabis. Inæſtimabile hic Sabis toti oppido damnum tulit anno MDLXXI, die VII Februarii, uti ea altitudo, & dies in multis adhuc domorum frontiſpiciis inſcripta cernuntur: in immenſum enim excreverat, ita ut multa opera disjecerit. inter quæ ædificium amplum, molis ad varios uſus magno artificio diſpoſitis inſerviens, quodque ſub unico tecto rotas undecim ad fluminis alveum exponit. & tantam ſilicum copiam advolverat, ut fere alvei ſui oſtium obſtrueret, quo Moſæ influit: ubi adhuc videre eſt ea alluvione natam inſulam, in qua in-

inter ſilices reperta numiſmata antiqua aſſerebant. Celebratur hæc civitas ob ferri præſtantiſſimi copiam, cujus metalli in Arduenna ſilva, quæ hic proxime ad alteram Moſæ fluminis ripam eſt, officinas multas habet. Abundat & lapide coloris ſubcinericei ad extruendas domos, quem vel per Moſam eundem in longinquas devehunt regiones. alio item coloris ejuſdem, qui cum fiſſilis ſit, ac vel in tenuiſſimas laminas ſecetur, utuntur eo, loco ſcandularum, ad ædium tecta. Vidimus & hic varia marmorum genera, omnia ad Moſam, ſed diverſis tamen locis, exciſa. quod *Dionanto* advehitur, nigerrimum eſt. candidum aliud vel rubicundum, venis reſperſum diverſicoloribus, ſub arce *Agimont* vulgo dicta, reperitur. eſt aliud genus nigri coloris, notulis interſtinctum candidiſſimis. & quis plene deſcripſerit tam varios naturæ luſus? Ex his columnas expoliunt, magnatum ſepulturas erigunt, aliaque comminiſcuntur ornamenta. Sed ad Moſam redeat narratio, qui in finibus Lingonum ortus, multas præcipui nominis urbes præterfluit, & recepto, ut diximus, Sabi ad ipſa hujus urbis mœnia Huijum properat, quod hinc ad v eſt M. Totus hic tractus longe eſt, quam dici poſſit, amœniſſimus. Quis enim ſatis miretur altiſſimas & præruptas rupes, qui-

bus

bus ab utraque parte munitur, veluti continuo quodam muro? niſi ubi ripæ accolarum indulgentes commoditati, paulloque longius à ſuo amne recedentes, locum ſementi faciendo relinquunt, vel ſenſim acclives, ſilvas & ſaltus exhibent, aut vineta, vel locum agricolarum caſis relinquunt; quas etiam ipſas à ventorum injuriis defenſant. præbent & arcibus vel ad tutandam ripam, vel ad delectationem extructis ſolidum fundamentum, inter quas eſt illa, quæ *Samſonis* nomen gerit, à qua non procul, in adverſa tamen ripa, in rupe eſt duriſſima inſcriptum hoc epitaphium:

D - M
NINNIVS
DRAVSONIS
VIVVS SIBI
M - F

HUIJUM

oppidulum ad utramque eſt Moſæ ripam, amquas ponte lapideo, longo atque ampliſſimo, connectit. melior tamen ejus pars ad dextram eſt. ubi forum & in ejus medio fons, multa templa, & ipſum primarium D. Genitrici ſacrum, à Theoderino XXIV Leodienſium Epiſcopo, ut habent Placen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

tii annales, conſtructum, ſed civium impenſis, magna mole, lapide coloris ſubcinericei, quem & hic exciſum ferunt, in altitudinem admirandam extructum. cui impendet in alto montis jugo arx illa nobilis & inexpugnabilis, ab Erardo à Marca Epiſcopo inſtaurata. ubi & puteum in ipſa rupe duriſſima exſcindere aggreſſus, opus tandem immenſo labore, ac diuturno, magniſque impenſis abſolvit. Nomen ſumere putatur ab *Hoja* fluviolo, qui ad VII hinc M. è rupibus prorumpens ipſum prius oppidulum in varios diviſus alveos perluit, ac juxta pontem, de quo jam diximus, Moſæ confunditur. Fuiſſe hoc olim magni nominis, & ſuos habuiſſe Comites aſſerunt, quibus parebat ab una parte Hasbania, ab altera Condruſi, qui hodieque antiquum ſuum nomen retinent; ac tandem ſedi (ut nunc loquuntur) Leodienſi donatione acceſſiſſe. Primum poſt ipſam

LEODIUM

inter urbes Leodienſis ditionis locum obtinet. Inter Hujum & Leodium, quod iter eſt V M., ſecundo flumine, multi ſunt ad utramque ripam pagi. Et ad ſiniſtram quidem *Gemeppe* vulgo dictus, longiſſima ædificiorum non contemnendorum ſerie ripam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

ejus exornat. Ceterum Moſæ ipſius eadem fere facies, ac ea, quam modo utcunque adumbravimus, niſi quod rupes paullo ſint accliviores, nec tam duro lapide, vinetis ut plurimum à ſummo ad ipſum uſque fluminis alveum conſitæ, vel ſilvis horridæ, ſi quæ ad ſolem orientem aut meridianum non ſpectant. Leodium primo aſpectu oſtentat in ſiniſtra ripa (nam dextra vinetis plena eſt) magna & populoſa ſuburbia ad collium radices, in quorum jugis multa ſunt & pulcherrima Monaſteria. Inter quæ magnificum illud ac nobile D. Laurentio dicatum, ab Raginardo Epiſcopo, ut habet Sigebertus, circa ann. ſal. MXXV ædificatum. Eſt in hac quoque regione Guilelmitarum cœnobium. in quo epitaphium hoc Joannis à Mandeville excepimus:

HIC IACET VIR NOBILIS DN̄S IOĒS DE MANDEVILLE AL' DC̄VS AD BARBAM MILES DNS DE CĀPDI NATVS DE ANGLIA MEDICINE PROFESSOR DEVOTISSIMVS ORATOR ET BONORVM LARGISSIMVS PAVPERIBVS EROGATOR, QVI TOTO QVASI ORBE LVSTRATO LEODII DIEM VITE SVE CLAVSIT EXTREMVM ĀNO DN̄I M° CCC° LXXI° MENSIS NOV̄EBR. DIE XVII.

Hæc in lapide, in quo cælata viri armati imago, leonem calcantis, barba bifurcata, ad caput manus benedicens, & vernacula hæc verba :

VOS KI PASEIS SOR MI POVR LAMOVR DEIX PROIES POR MI.

Clypeus erat vacuus, in quo olim laminam fuiſſe dicebant æream, & ejus in ea itidem cælata inſignia, leonem videlicet argenteum, cui ad pectus lunula rubea, in campo cæruleo, quem limbus ambiret denticulatus ex auro. ejus nobis oſtendebant & cultros, ephippiaque, & calcaria, quibus uſum fuiſſe aſſerebant in peragrando toto fere terrarum orbe, ut clarius ejus teſtatur Itinerarium. quod typis etiam excuſum paſſim habetur. Et hæc quidem ad ſuburbia, hinc colles longius recedentes amplam relinquunt planitiem, quam Moſa, receptis aliquot ex Arduenna ſilva profluentibus fluviolis, in varias inſulas partitur, ſic hujus urbis inſerviens commoditati, ut vix ullus ſit in ea vicus, qui non ſuum fluentem habeat. Si quis nunc velit ſingulatim perſequi, quantum hæc planities, una cum vicinis ab utraque parte collibus, templis auguſtis, ac cœnobiis, ædificiis præterea magnificis, publicis & privatis, pontibus marmoreis, fontium limpidiſſimorum copia, reliquiſque rebus quæ pro tantæ urbis

ca-

captu requiri poſſint, ſit decorata: pluſculum impendendum ſit operæ quam Itinerario conveniat: nobis ſit ſatis aream ipſam, & rerum ſummas attigiſſe, cum ei luſtrandæ nec quantum opus fuiſſet temporis impenderimus, & ſit aliorum encomiis jampridem celeberrima. Initium ejus amplitudinis fecit Divi Lamberti religio, & pietas, cum ante illud tempus vicus tantum eſſet, & præcipue florerent *Heriſtallum* & *Iupillæ* ſub Pipinis, quæ hinc non procul ad utramque Moſæ ripam, loco amœno & fertili, nunc

(*tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas*)

in vicos abiiſſe videmus, & vix ruinas ſupereſſe domicilii tot clarorum Principum. Cædem Divi Lamberti refert Regino Prumienſis, ad ann. ſal. circiter DCXXII à Dodone quodam aliiſque viris ſceleratis perpetratam, in hoc eodem vico; quod vir ſanctus aulicorum culparet vitia: & fertur ita manſiſſe vicus ut erat, uſque ad Imp. Caroli Magni ætatem, quando ab Huberto Aquitanorum duce, qui unus erat ex ejus proceribus, Divi Lamberti corporis reliquiæ, una cum ſede Epiſcopali, Trajecto huc tranſlatæ fuerunt: quo etiam antea è Tungrorum urbe delatæ fuerant. *Vrbem muro cinxit*, ut eſt apud Sigebertum, *Notgerus Epiſcopus*, ac XXXVI annorum, quibus

huic

huic Eccleſiæ præfuit ſpatio, ſic etiam magnificis operibus decoravit, ut non immerito ejus quodammodo conditor diceretur. Exceſſit hic è vivis ann. ſal. MVII, ſepultus ad D. Johannis Evangeliſtæ; quam ædem, Aquiſgranenſi perquam ſimilem, & rotundam penitus, niſi quod ad latera ſacella poſtmodum acceſſere, condidit ipſe ſuo ſumptu, & in ea Canonicorum collegium inſtituit. Quin & ipſam D. Lamberti Baſilicam ab Huberto Duce, de quo ſupra, dicatam, cum vetuſtate dilapſa eſſet, à fundamentis renovavit. Moſam fluvium urbi induxit, cum antea in ejus flueret pomœrio: & alia præterea quamplurima, vel primus condidit ipſe, vel ab aliis inchoata conſummavit, & amplioribus dotavit reditibus Monaſteria, ac templa: uti in ejus Vita, quam in hac eadem æde in tabula membranea videas, fuſius declaratur. ubi & arcem quæ Montis caprini dicitur, ſui juris feciſſe, & caſtrum Huijenſe ſuæ itidem acquiſiviſſe Eccleſiæ legitur, idque conſtare ex diplomate Othonis III. Aug. apud quem auctoritate valebat plurimum, ut & apud ejus ſucceſſorem Imp. Henricum II. Bavarum. cui ad recuperandum caſtrum Valentianas, in confinio Franciæ ac Lotharingiæ, quod Balduinus Flandrenſis invaſerat, ſuppetias tuliſſe, eadem hæc habet tabula; & ejus mul-

multa commemorat illuſtria facinora. Hanc ex autographo deſcribebat Hieronymus Scholierius, hujus itineris comes:

Anno Dominicæ nativitatis milleſimo ſeptimo, quinto Idus Aprilis, obiit felicis recordationis Dominus Notgerus Epiſcopus Leodienſis: cujus corpus in loco retro altare translatum & inhumatum eſt. Qualis enim, quis & quantus ipſe fuit, teſtantur pro parte geſta Pontificum Leodienſium, ex quibus collecta ſunt quæ ſequuntur. Subſtitutus eſt Eraclio quadrageſimus ſextus Dominus Notgerus, à Sancto Gereone archiepiſcopo Colonienſi ſacratus, genere quidem Alemannus & Theutonicus, ac omni morum elegantia inſignitus. Ipſe igitur in Suevia natus nobilitatem generis ſcientia & moribus illuſtravit. Notgerus monaſterium beati Lamberti longe in melius quam antea fuerat immutavit. eccleſia enim quam beatus Hubertus ædificavit, ad lapſum declinaverat: hac diruta templum ſexaginta Canonicorum juxta magnificentiam dilatati cordis ſui exaltavit, ornamentis ditioribus decoravit, clauſtrum & domorum ædificia renovavit. In crucibus aureis, quas Notgerus in dicta eccleſia Sancti Lamberti etiam fecit, ſcriptum eſt hoc metrum:

Certa ſalus vitæ Notgerum ſalvet ubique.

Qualiter enim præfatus Notgerus civitatem Leodienſem, quæ eo tunc parva erat, à morti-

fera

fero Caſtri Montis caprini jugo potenter & ſapienter eripuit: in geſtis ejus plenius continetur. Vnde quidam loquens in perſona dicti Suevi ſic ait:

Legia dotatur per me, Caprimons ſpoliatur;
Hic ruit, hæc ſurgit; manet hæc, nec ille reſurgit.

Eccleſiam parochialem Beatæ Mariæ ad fontem templo B. Lamberti adjacentem & palatium domus Epiſcopalis ſimul cum templo, multiplicatis operariis, & magnificatis impenſis, à fundamentis uſque ad perfectionem conſurgere fecit. Ecceſiam Sancti Pauli à feneſtris ſupra conſummavit. & bonis adjectis, ubi viginti tantum erant Canonici, triginta perfecit. Rex Otho tertius bona quæ Eraclius eccleſiæ Sancti Martini contulerat tanquam præſtita eidem, eo defuncto, in fiſcum regium revocavit, quæ Notgerus ſuis meritis præclaris, ſeverando Regem recuperavit. Clauſtrum ipſius eccleſiæ inſciſſo colle publici montis triplici vallo & muro cum turribus ſublimibus communivit. Notgerus per Robertum majoris eccleſiæ Præpoſitum procuratorem ſuum etiam abſens eccleſiam Sanctæ Crucis conſtruxit, quam clauſtro debite communivit, ac agris, decimis, & aliis bonis, quibus XV *fratribus illic Deo ſervientibus victualium neceſſaria proveniant, ditavit. In qua idem*

Ro-

Robertus, VI Idus Martii ſepultus eſt. Sed & etiam Nithardo majoris eccleſiæ cuſtode adminiſtrante prædictus Notgerus in honore B. martyris Dionyſii condidit eccleſiam: in qua primum quidem viginti delegati ſunt Canonici; procedente vero tempore decem additis in trecenarium profecerunt numerum. Deinde præfatus Notgerus eccleſiam in honore B. Ioannis Euangeliſtæ ex ſuis ſumptibus à fundamentis uſque ad conſummationem condidit. In qua XXX Canonicos ad clericatus executionem inſtituit, & pretioſis reliquiis merito, ſcilicet cum faucibus B. Vincentii Levitæ, & martyris, nec non Sanctorum Fabiani & Sebaſtiani, communivit. Idemque Notgerus jam dictam eccleſiam Sancti Iohannis bonis perſonis initiavit. Nam Præpoſitum & Decanum de congregatione elegit cuſtodem magiſtrum ſcholarum; ac cantorem, diſtributo unicuique officii & laborum ſuorum ſolatio, conſtituit. Altare majus manu propria conſecravit, & oratorium B. Hilarii & Remigii in dicta eccleſia conſtituit. Notgerus eccleſiam parochialem B. Adalberti ædificavit, cui jus baptiſterii & extremæ unctionis totius inſulæ condidit, & in eccleſia Aquenſi deſtructa à Normannis XXVIII Canonicos inſtituit. Notgerus etiam Caſtrum Hoÿenſe eccleſiæ Leodienſi acquiſivit; prout privilegium Othonis Imperatoris id plenius teſtatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

tur. Eraclius fundamenta monaſterii B. Laurentii juxta muros Leodien. jecit, itaque feriatim fiebat opus, jamque ex parte ſurrexerant à fundamento murorum parietes. Opus itaque inceptum per Eraclium eo defuncto permanſit imperfectum, donec Notgerus qui ſucceſſit epiſcopus, æquatis tandem parietibus murorum, tectum ſuperponi fecit. Moſam qui extra civitatem fluebat civitati introduxit, & circa clauſtra Sanctorum Pauli & Iohannis ad radices montis, in quo eccleſiæ ſanctorum Martini, Laurentii, Crucis & Petri ſitæ ſunt, & circa clauſtra Sanctorum Lamberti & Dionyſii, per medium civitatis in communes uſus, ut fluminis impetus lætificaret civitatem Dei, fluere juſſit. Vnde

Ad Lamberte tua, Dionyſi, Paule, Joannes,
Notgerus clauſtra nandi Moſe dedit amnes;
Curſu flumineo lætare Legia claro.

Vix aliquid magni aut præclari operis eſt in civitate Leodien. quod ipſe non fecerit aut perfecerit, ut magis feciſſe civitatem quam coluiſſe videatur. Vnde in præconium laudis ſibi debitæ paucis iſta de ipſo comprehenſa ſunt hoc metro:

Legia lege ligans ..... cum ſibi leges,
Notgerũ Chriſto, Notgero cetera debes.

Foſſenſem Eccleſiam condidit, ac muro & turribus

ribus circumductis idem communivit. Tuinum caſtrum fecit & communivit in defenſionem .... epiſcopalis & protectionem Leobienſis. in qua etiam abbatem eorum inſtituit, meritiſque Beati Notgeri & auctoritate Imperiali Gemblacenſis eccleſiæ vel abbatia ceſſit eccleſia Leodienſi. In eccleſia collegiatæ Sancti Rumoldi Machlinienſis inſtituit Notgerus duodecim primas præbendas. Prærogativa bonæ fidei & meritorum conſtitutione Principum curia fecit eum patronum puerilis ætatis Ottonis Imperatoris. Vnde

A Suevo regitur rex magnus tertius Otto.

Cujus Suevi ſtudio & diligentiæ quam ſupra ætatem ſuam puer ille profecerit: quomodo Alpes cum exercitu ſuperaverit: quantum Tremonenſes multitudine civium & magnitudine opum adverſus Imperium erectos humiliaverit: quomodo civitatem eorum contriverit, ut in ſignum deletionis milium in ea ſparſerit: quomodo totam Italiam curſu quindecim annorum ſibi ſubjecerit: quam glorioſe in urbe diademate Imperii coronatus fuerit: quomodo quos armis ad ſe timendum ſubegerat, clementia ad ſe amandum ſublevabat, & diſpoſita pacificis legibus trans alpes Romana urbe, quam glorioſus victor ad Rhenum redierit, & digna Imperatore geſſerit: Aquenſem eccleſiam exornavit: Si hujus narrationis hiſtoriam melioribus debitam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

bitam ſcriptoribus ſecundum ſuum ordinem ingredi auderemus, plus eſſet opere propoſiti quã hac digreſſione inſereremus. Temporibus ejus ſiccitas magna vernalis evenit; unde & ſatio primitiva impedita & fames ingens ſecuta eſt: fertur enim precibus ejus annonam pluiſſe de cœlo in Hasbania. alii etiam piſciculos parvos de cœlo pluiſſe ferebant. Poſtea nix nimia de cœlo decidit. Imber etiam continuus, qui autumnalem ſationem denegaret omnino: Epiſcopus vero Notgerus indicto communi jejunio periculum imminens repulit. Terræmotus quoque factus eſt permagnus, Cometaque apparuit ſplendidiſſimus, nonodecino Kal. Ian. circa horam nonam: fiſſo cœlo quaſi facula ardens cum longo tractu inſtar fulguris illapſa eſt terris, tanto ſplendore, ut non ſolummodo qui in agris erant, ſed etiam in tectis irrupto fulmine ferirentur: qua cœli fiſſura ſenſim evaneſcente, interim viſa eſt figura quaſi ſerpentis, capite quidem creſcente cum cæruleis pedibus. quæ pericula oratione viri Dei ſunt annihilata. Caſtrum præterea Valentianas in marchia Franciæ ac Lotharingiæ, quod Balduinus Comes Flandrenſium invaſerat, Imperator Henricus obſedit, concurrentibus ad conſilium ejus Roberto Rege Francorum, & Richarto Comite Normannorum: ſed quia idem rex de obſidione redierat inefficax, voca-

to

to ſibi in auxilium prædicto Epiſcopo Notgero, contra Balduinum proficiſcitur. ejus auxilio & conſilio munitus Caſtrum Gandavum invadit, & depopulata terra aliquos Flandrenſium primores capit. Vnde Balduinus perterritus Imperatori ſatisfecit, Valentianas reddidit, datiſque obſidibus cum ſacramento fidelitatis ei manus dedit. Et quanta fuerit illi in educandis pueris ſcholaribuſque diſciplinis inſtruendis ſolicitudo, hinc maxime probatur, quod ſemper dum in via pergeret, longe ſeu prope ſcholares adoleſcentes ſecum ducebat, qui uni ex Capellanis ſuis ſub arctiſſima ſcholarium parerent diſciplina, quibus etiam librorum copiam cum ceteris ſcholaribus & utenſilibus circumferri faciebat, ſicque fiebat ut quos plerumque rudes & illiteratos à clauſtro abduxiſſet, ipſos quos prius magiſtros habuerant in litterarum eruditione redeuntes ſuperarent. Cujus eruditionis occaſione plurimi eorum etiam in religionis ac ſanctitatis diſciplina circa eum in tantum profecerunt, ut idonei fierent rectores eccleſiarum. Ex illis quippe multæ civitates gaviſi ſunt ſe habere paſtores; quarum Saltburgenſis eccleſia archiepiſcopum habuit, Gauterum; Cameracenſis duos, alterum alteri ſuccedentem, Rothardum & Erluinum; Virdunenſe Monaſterium beate; Tullenſis eccleſia, Herelonem; Trajectenſis eccleſia Adelba-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

badum: licet à multis etiam aliis epiſcopalem gradum non aſſecutis. qui ſub eo nihilominus coaluiſſent, quamplurimæ correctæ ſunt eccleſiæ; ex quibus Diramus poſtea Leodienſis Epiſcopus Bavenburgenſem eccleſiam religionis & artium liberalium diſciplina illuſtravit. Otbertus cum quibuſdam aliis ſecum hinc abductis, Aquenſium clericorum vitam pernicioſe licenti contagio depravatam, ad ſanctæ religionis ſtatum pro poſſe reduxit. Quid de Hulbodo dicamus? qui dum adoleſcentulus à ſcholari diſciplina hinc aufugiſſet, Pariſios veniens Sanctæ Genovefæ Canonicis adhæſit; in brevi multarum ſcholarum inſtructor fuit. Vbi cum aliquandiu Domino Notgero ignorante moraretur, tandem canonica epiſcopalis ſententiæ executione compulſus eſt redire, pluribus ibi relictis ſtudiorũ ac moralitatis inſignibus. Cujus vitam bene ſatis morigeratam ad virtutes acceptans epiſcopus gratia ac donis muneratã ad virtutis ſtudium amplius accendit. Idem poſtea ſub Pontifice Baidrito Pragam Boëmiæ civitatem tranſmiſſus, cum nonnulla ibidem Chriſtianæ religionis documenta dediſſet, ad nos iterum cum honore remeavit. Multi quoque alii ſub tanto patre educati, religionis ſtudiis liberalibus diverſa illuſtravere loca, quorũ vita religioſis moribus & doctrinis inſignita, paternæ probitatis evidens eſt documentũ. Nec hos

ſilen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

ſilendum, quod inter cetera probitatis opera prudenti admodum uſus conſilio, in tres æquas portiones prædia eccleſiaſtica diviſit, quarum unam ſibi ſuiſque ſucceſſoribus retinuit, alteram Eccleſiis & monaſteriis impartiit, tertiam militibus, qui eccleſiam armis protegerent, conceſſit. Et ut de ſanctis ejus moribus aliqua adhuc breviter enarremus, erat pauperibus mitis, ſuperbis divitibus terribilis, bonis quibuſque lenis & manſuetus, iniquis malicioſis hominibus metuendus, potentibus venerabilis, mediocribus amabilis & admirabilis, ſapientibus & doctis eruditor clementiſſimus, ſenum & debilium ſuſtentationis baculus, juvenum & adoleſcentum correptor ſtudioſus, providus in conſilio, circunſpectus in facto, clarus in eloquio, diſcretus in ſilentio. quem ſummi proceres, Romanæ videlicet urbis Antiſtes & Imperator, tanto extulerunt honore, ut primus eorum in diſceptationibus Præſulum ciſalpinorum ſuas ei vices injunxerit: Imperator vero in diſponendis regni negotiis præcipuum procuratorem habuerit. nunquam corpori in ſe locum dedit, & à ſuis familiaribus deſidiam animi pro poſſe ſemper expulit. Cum clericis divinæ paginæ quæſtionibus enodandis quoties vacaret intentus, etiam laicos adoleſcentes quibus educandis inſtabat, ætati & ordini ſuo congruis artibus implicabat. His & ſimilibus inſiſtens laboribus

pa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

pater venerandus triginta ſex in epiſcopatu peregit annos, multoſque à nobilitate paterna non degenerantes reliquit filios, inter quos piæ memoriæ dominus VVazo præ ceteris eminuit. Igitur deductis univerſis laboribus ad honorem Imperii, & decorem domus Eccleſiæ Dei, bona fide & bono fine diverſis in locis & temporibus feliciter laboravit. Vnde ſcriptum eſt:

Quatuor explevit partes extenta plagarum
Fama ſuis meritis.

Conſtituto ſuper Rhenum monaſterio ſanctimonialium in villa Iulica, ſicut privilegia ejuſdem eccleſiæ in Biblia conſcripta teſtantur, rediit Leodium, jam in proceſſa ætate, & ubi epiſcopali officio verbo & exemplo clerum & populum ad meliora provehere ſolicitus fuit. unde ſcriptum eſt:

Vulgari plebem clerum ſermone Latino
Erudit & ſatiat magna dulcedine verbi,
Lac præbens teneris ſolidamque valentibus eſcam.
Sponte cadunt hereſes ſub forti milite Chriſti,
Fraus & ficta fides, timor & commenta fugantur,
Et depreſſa tremunt tanquam ſub judice morum.

Hoſpitalis adeo fuit, ut de eo ſcribatur,

Nun-

Nunquam ſic colitur totis affectibus hoſpes;
In laribus putat eſſe ſuis qui venerat exul;
Pauperibus victus, nudis non deſit amictus.

Ita ſermo Dei vivus & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti in eo fuit, ut quiſquis decretorum eccleſiæ violator extitiſſet, ſi poſt commonitionem contumax & quaſi lapidatus cordis duritia fuiſſet, pœnam perdurationis ſuæ portaret, in quem epiſcopali auctoritate maledicta congeſſiſſet. Vnde ſcriptum eſt:

Nam ſumus experti, quicunque fuit violator
Eccleſiæ, poſtquam hunc feriens anathemate vinxit,
Corpore & excluſit ſacro vel ſanguine Chriſti,
Ivit in exitium, reſipiſcere ni properaſſet.
Si rabie caruit, ſed non prurigine turpi
Et reliqua ſcabie quam poſtea nemo piaret:
Aut fregit collum, aut amatos perdidit artus.
Talis erat reprobis, tam formidabilis omni
Perjuro prædoni; fur nec perfidus auſus
In faciem veniſſe ſuam.

Quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Quando à majoribus negotiis ad quietem evadere poterat, ad ſanctum Ioannem ſe conferebat, & in domo adhærente interiori clauſtro, quam ſibi ædificaverat, dum erat ibi tanquam in familiari ſinu operis ſui, orationi & pauperum alimoniæ vacabat. Ibi tabellariis & ſcriptoribus ſcribenda dictabat. Epiſtolam operis ejus, ſententiæ valetudine & ornatu verborum lucidam, de pueritia Sancti Lamberti, & merito Lamboaldi confeſſoris & Landeradæ virginis, oppido Flandriæ Gandis in eccleſia Sancti Bavonis legi, & viſum eſt nobis copia dicendi ſtylum ipſum majeſtati perſonæ convenire: & ideo loca ipſa in quibus ſcripta ipſius vel de ipſo reperiuntur, & verſus aliquos, antiquitatis de multitudine acceptos, eiſdem verbis, & metro quo in antiquis libris inventi ſunt, annotare curavimus, ne ex favore magis quam ex cognitione loqui videamur, & in aſſertione veritatis, ſi in commendatione bonorum quæ ipſe fecit ſtare vellemus & valeremus, peccare nos non crederemus. Ab ordinatione enim ſua per annos ſexies ſex, hoc eſt triginta ſex, in epiſcopali opere laboravit, & tunc curſu conſummato fide ſervata, ſeptimo annorum ſenario, ad ſabbathum quietis diſpoſitionem carnis migravit. Vnde ſcriptum eſt in verſibus prædictæ antiquitatis,

Præfuit eccleſiæ per decem luſtra vel annum.

vel *ibi pro* & *poſito. Et quia ſine dolore non perditur, quod cum amore poſſidetur: tota civitas, tota patria obſequio funeris affuit; ſenes cum junioribus, puſilli cum magnis affluunt de caſtellis & oppidis. Clerus tanquam familia ſpiritualis ad plangendum ſuum patremfamilias convenit; & ut breviter dicam, de tota regione catervatim ruunt ad flendum ſuper eum qui vixerat lætitiæ multorum. Ita non ſufficit veſpere & mane dies unus ad ſolemnitatem exequiarum; quia quilibet principalium eccleſiarum quas ipſe in civitate fecerat vel perfecerat, ad vitandam ingratitudinem humando corpori ſe debere ſingulares exequias profeſſa eſt. Prima igitur dies luctuoſæ celebritatis in eccleſia Lamberti deducta eſt. Secunda in eccleſia Sanctæ Crucis. Tertia in eccleſia Sancti Martini. Quarta in eccleſia Sancti Pauli. Quinta in eccleſia Sancti Iohannis, ubi ipſe ſupremo voluntatis ſuæ teſtamento, in ſignum ſervatæ uſque in finem humilitatis, in angulo cryptæ humilioris in Oratorio Sancti Hilarii ſepeliri conſtituit: quod & factum eſt. Præſcripta & plura alia clarius habentur in geſtis pontificum Leodienſium. Sed præter ea Notgerus præſcriptus multa magnalia & opera bona in iſtis & aliis partibus operatus eſt, quæ non ſunt*

ſcripta in geſtis pontificum prædictis. Vtinam plures tales epiſcopi modernis temporibus invenirentur.

Non procul ab hac D. Joannis æde, in eademque inſula (quales Moſam in varios diviſum alveos facere, jam demonſtratum) quæ eſt etiam omnium maxima, templum eſt aliud pulcherrimum D. Jacobo dicatum, à Balduino Epiſcopo erectum ann. MXIV, ut idem refert Sigebertus Gemblacenſis. Sunt omnino in hac urbe octo inſignia *Canonicorum collegia, parochiales Eccleſiæ* triginta duæ, unde ejus amplitudinem colligas, & ipſa quatuor Fratrum mendicantium contubernia, Franciſcanorum etiam duplicatum. *Aula*, quæ è regione Divi Lamberti eſt, fundamentum poſuit Erardus à Marca, operum magnitudine ſat notus, idemque abſolvit celeritate admiranda, ut Imp. Carolum V. Aug. in ea exciperet: magnum vero illud opus & ſua mole ſpectabile, nec reliqua cultus delicatioris in eo deſiderantur. Sed *viridaria* in primis mirabamur, in quibus plantæ lectiſſimæ, eoque ordine diſpoſitæ, ut nihil fieri poſſe elaboratius judicaremus. Quis fontium præterea amœnitate non ſummopere delectetur, pulchriſve ſtructuris ex diverſo marmorum genere compoſitis? unde aqua, magna erumpens copia, gratiſſimum etiam frigus

gus vicinis conciliat porticibus, & ejus late per fornices relabentis volutant murmura. In hac aula habitavit ipſe ejus conditor, & reliqui omnes ab eo Epiſcopi, cum ante id tempus nulli eſſet certa ſedes. Ipſi autem ex Romani Imperii Principibus ſunt inſigniti titulis Ducatus Buillonii, & Comitatus Loſſenſis, & ampla admodum eſt eorum ditio, quæ communi nomine Leodienſis, ſumpta ab hac ipſa urbe appellatione, dicitur. Unde ſit *Leodio* nomen, nobis non conſtat, ac ut de eo multæ circumferuntur opiniones, ita nihil quod cujuſquam videatur momenti. Vernaculo ſono *Liege* efferunt; voluntque nonnulli ſic appellari rivulum, qui per forum fluit ex proximis ortum ducens collibus: ſed hæc opinio à paucis recipitur. immo ſi ille rivulus nomen habeat, à maxima parte ignoratur. Et hæc quidem de publicis operibus, quantum huic narrationi ſufficiat. quis vero enumeret quantum privati ornatus in ſingulis Canonicorum, & virorum doctorum, quibus in primis hæc abundat civitas, ædibus paſſim reperias? ac ut ipſas ædium è ſolido marmore moles prætereas, quis non mirifice oblectetur *tot hortorum ac viridariorum amœnitate?* quæ vel in planitie juxta aquas, vel in ipſis collium qui huic impendent jugis, ſuos quoque habent *fontes*, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

pulcherrimo fruuntur tantæ urbis proſpe-
ctu. hinc oriente die tot clarorum ædificio-
rum culmina aſſurgere, eadem deceden-
te paullatim capita ſubmittere videas. Quid
refertiſſimas dicamus bibliothecas, pictu-
ras, ſtatuas, eaſque vel hujus memoriæ ar-
tificum, vel antiquas? ita ut in hac ſola ur-
be videre contingat, quæ magno vix labo-
re in diverſis Orbis terrarum partibus pe-
regrinando reperias. Cujus quidem rei vel
ſolæ fidem faciant, pulchræ illæ ædes,
quas *D. Lævinus Torrentius*, vir eximius, &
noſtro hoc ſæculo Lyrici princeps carmi-
nis, ſuo ſumptu exſtruxit: in quibus, ut lo-
co ab omni ea parte aperto, quæ ad ſalubri-
tatem requiritur, adjutus, ita ſingulas earum
partes congrue diſponendo (ut in eo *Lam-
berti Lombardi*, pictoris quondam & philo-
ſophi celeberrimi inter Eburones felicem
in architectura manum agnoſcas) ſinguliſ-
que ſua aptando ornamenta, eſt adſequutus
ut his amœnius nihil eſſe poſſit, nec quamvis
non ita amplo in ſpatio laxitatem deſideres.
Sed has præcipue honeſtat ipſe, comitate
erga litterarum ſtudioſos ſingulari, & inſi-
gni bibliotheca librorum etiam manuſcri-
ptorum, æreis præterea imaginibus anti-
quis, ac vaſis, figuris hieroglyphicis cir-
cumquaque inſignitis, ejus capacitatis qua-
lia nunquam antea videramus. numiſma-
ta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

ta vero antiqua ea habet tum copia, tum raritate (vocabulum inter ejus rei ſtudioſos notum agnoſcis) quibus ipſa invidere poſſit Italia: nec enim alibi plura Romanarum gentium facile reperiri poſſe nomina exiſtimamus. Secundus ab hoc ſit in antiquitatis ſtudio *D. Arnoldus à VVachtendonck*; in eo enim & ipſe egregie verſatus, & antiquitatis inſtructus eſt non exigua ſupellectile: candorem vero ingenii, cum pari certantem eruditione, quis in eo ſatis amaverit? Claret & *Dominici Lampſonii* ſingularis eruditio, & in carmine vel Latino vel Græco caſtitas & acumen, in hac eadem civitate; quæ & nuper admodum *Caroli Langii* ſui funus extulit, magno cum omnium bonorum deſiderio. Et, ſi qui ſingula revolvat tempora; vix ullum fuiſſe comperiet, quo ſua hæc non habuerit præclara quædam lumina. Sed longius fortaſſe ſumus prolapſi, quam hæc ferat narratio, dum amicitiæ indulgemus, & ab amicorum virorum conſuetudine ægre divellimur. Hac ergo urbe nobiliſſima juxta & ampliſſima ſic ſummatim luſtratâ, viſum eſt

TUNGRORUM OPPIDUM

III abhinc diſtans M. petere, quamvis in eo ſuſceptæ peregrinationis tenorem inver-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

tentes, ne tanti quondam nominis locum negligeremus. In itinere viſuntur multis in locis ruinæ turrium, quas putabamus tempore Francorum, qui hos olim agros incolebant, ſpeculas fuiſſe. forma apparent quadrata, ac rudioris ſtructuræ, & ſunt in locis eminentioribus omnes, vel tumulis ad id ipſum, ut videtur, aggeſtis impoſitæ. Illi vero tumuli tres juxta proceras arbores ſenſim faſtigiati, & virides, ejuſdem videntur argumenti cum eis, quos ſupra deſcripſimus: & fidem faciunt omnium fere ætatum hiſtoriæ, quantum his in locis ſit bellatum, dum Galli patriam libertatem acerrime propugnant, & *pulchram petunt per vulnera mortem* (ut inquit ille) ſed hoſtium tamen magnos linquentes cladis acervos. Ipſum porro oppidulum (nihil enim aliud nunc reſtat ex tam clara olim urbe) ad Jecoram eſt fluviolum, qui juxta Trajectum in Moſam influit, ſitu omnino eminenti, & circumquaque ſenſim acclivi, deſinenteque in paludes, aut profundas convalles: ubi ab una parte, qua magni & tortuoſi anfractus, Oceani brachium ipſos muros quondam alluiſſe vulgo creditur. Ad cujus rei fidem allegant, majorum ſuorum memoria, nec ita longo abhinc tempore, adhuc in uſu fuiſſe in diſtinguendis ea in parte agrorum limitibus, vocabulum *Zeedeick*, quo

paſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

paſſim appellant aggeres ad coërcendũ maris impetum congeſtos. Alii, & fortaſſe verius, ſtagnum fuiſſe, vel lacum malunt, cum idem *Zee* vocabulum, Germanis ſuperioribus in primis, pro ſtagno ſæpius, vel lacu accipiatur. Urbis hujus amplitudo quanta olim fuerit, ut ex hiſtoriis conſtat, ita ejus quæ hodieque reſtant murorum rudera, id ipſum manifeſto oſtendunt, quibus ab una adhuc parte longo circuitu ambitur. ac inter ea & recentiorem murum, qui oppidulum nunc claudit, plurima quotidie eruuntur ædificiorum fundamenta, plurima & antiquitatis monumenta, nummi, gemmæ variis inſcalptæ figuris, vaſa fictilia: inſcriptiones, aut ſtatuæ paullo majores raro, ut nec in ipſo oppido quidquam ejuſmodi videas; niſi quod in ſacellulo rotundo, quod juxta ſummum templum eſt, & à Divo Materno ædificatum referunt, nonnulli & Romanorum eſſe opus exiſtimant, vidimus muro inſertum lapidem vetuſtate adeſum, in quo veſtigia apparent imaginis imberbis galeatæ ac criſtatæ, dextra haſtam, ſiniſtra vel clypeum, vel gladii capulum tenentis, quam fortaſſe Minervæ imaginem non incommode dixeris. Ipſi incolæ Herculis eſſe putant, cujus & caput eſſe in alio muri ejuſdem lapide, cum tamen manifeſto Gorgonis eſſe faciem anguinei crines, nodo ſub

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

mento collecti, arguant. Sed vulgi is error, temere rebus ignotis nomina affingere: & fortaſſe in eo quoque falluntur, quod fontem illum, qui non procul à vetere muro eſt, eundem eſſe autumant, cujus Plinius lib. ſuæ hiſtoriæ XXXI meminit; in eo Plinii loco civitatis nomen, quo potius uſus videtur in propria ſignificatione, pro oppido accipientes, ut idem ſane ſit; multum ab eo ſapore, quem diſerte explicat ille, degeneravit: de efficacia ipſi viderint. nec admodum movemur, quod eo levatos eſſe multos referant: hallucinantur enim homines in applicatione cauſſarum utplurimum, & ſæpe medicinæ acceptum ferunt, quod natura ſua quadam vi ſine cujuſquam adminiculo perfecit. Hæc fere ſunt, quæ hac ætate reſtant ex antiqua illa & famoſiſſima olim *Tungrorum* urbe, quæ quondam principem in Germania ſecunda locum tenuit, à Tungris illis proculdubio nomen ſortita, quos Cornelius primos fuiſſe, qui Rhenum tranſgreſſi Gallos expulerint, & ſe nunc Tungros, nunc Germanos nominaſſe tradit, *novo, & tunc primum addito* [alias, *audito*] *vocabulo*. quod quidem tempore C. Cæſaris jam erat vulgatiſſimum, obliterato priore illo, cujus in ſuis Commentariis prorſus nullam facit mentionem: ſed has ipſas ſedes *Eburonibus* tribuit. Quos cum

mag-

magnis aliquot præliis ſuperatos, vicinis nationibus direptioni expoſuiſſet: veriſimile eſt, ejus gentis reliquias, ubi paullatim ad ſuas ſedes recepiſſent, abjecto Eburonum nomine, quod Ambiorigis caſus odioſum omnino & capitale apud victorem exercitum effecerat, vetus Tungrorum reſumpſiſſe: quod apud Tacitum, & poſteriores inde ſcriptores, ad hanc uſque memoriam, tam eſt celebre, quam de Eburonibus perpetuum ſilentium. In quo Cæſar quod volebat, ne quid ejus obſtaret felicitati, eſt adſequutus, ut nomen civitatis ac ſtirpis extingueret. Ceterum quid hoc loco olim fuerit, vel quando primum hæc urbs fuerit condita, veteres nobis incertum reliquere. Eſt in libello, qui ſub Antonini Pii nomine circumfertur, Itinerarium, quod *Caſtello*, nunc *Caſſel*, in finibus occiduis Flandriæ, *Coloniam Agrippinam* ducit, in qua *Perviciacum* eſſe, quod nunc *Peruvves* dicunt, & nomen, & locorum ordo, & ipſa adeo convincit diſtantia. Hinc ad M. paſſ. XIV. *Aduacam Tungrorum* (ſic enim potius legendum putamus, quam *Ad Vagam Togrorum*, ut nonnulla habent exemplaria) ſubjungit. Ut Tungrorum hoc oppidum ſit, in numero quidem paſſuum errorem eſſe, erit neceſſe; eſſet enim longe juſto minor; non videmus tamen quem alium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

potius eſſe locum exiſtimemus. Nam quamcunque tandem hic libellus ætatem referat, hoc oppidum diu ante ſtetiſſe, nemo inficias ibit. & in eo omnes conſentiunt Hiſtoriæ, longe eſſe antiquius Cameraco, Juliaco, & reliquis, quæ in eodem recenſentur Itinerario, & quidem potens & amplum fuiſſe. Cumque in eodem ſit tractu, per quem Caſtello vel Perviciaco Coloniam petentibus ſit faciendum iter, non videtur in regia illa via ſilentio præteriri potuiſſe: & facilius fuit ſcribam in numeris errare, quam ut tantæ urbis nomen omiſiſſe credamus, ut in hoc eodem libello, eorundem prorſus locorum diſtantiam, aliter atque aliter notatam, videas. Quid vero prohibet quin huc Ptolemæi Ἀτȣάκȣτον, vel quomodocunque legatur, & Cæſaris item *Atuatucam* referamus? (ſic enim vetuſtiora habent exemplaria, non ut nunc legimus *ad Vatucam*, contra Latini ſermonis conſuetudinem, nec reperitur in alio caſu hoc vocabulum in ejus commentariis, quod ſane dubitationem hanc tolleret.) Videntur enim illa in idem recidere, niſi quantum vulgi imperitia temporis ſucceſſu tandem, in propriorum nominum prolatione, quod ipſum & hac memoria uſuvenire videmus, immutat; ut non mirum ſit, Romanos, aut Græcos homines, diverſis temporibus in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

in eorum ſcriptura variaſſe. Hæc ſi ita ſint, jam habemus quid de hoc dicamus oppido: *Caſtellum* videlicet fuiſſe, etiam ante Cæſaris in Gallias adventum; quod cum loci natura eſſet egregie munitum, Romani in eo duces ſuos milites in hibernis continebant: & hinc fortaſſe paullatim ſumpſit incrementa, quo tempore Galli, qui antea diverſi ut plurimum, & ut cuique commodum videretur, in agris caſas habebant, nulla habita viarum aut munitionis ratione, bello ſæpius laceſſiti, oppida claudere, & ſua in ea quæ ſalva eſſe vellent comportare, cœperunt. Sic & aliis quoque in locis ex caſtris factas tandem urbes legimus. Sed hæc ex conjectura. Si quis vero curioſius ſingula Cæſaris verba expendat, quibus de Atuatuca facit mentionem, reperiet, cum nullo melius, quam hujus ipſius oppidi ſitu, tum loci natura convenire. Ut enim diſpoſitionem illam hibernorum, de qua lib. v. agit, diligentius attendas, quæ millibus paſſuum centum continebatur: non potuere illa Q. Titurii Sabini, & L. Auruncuieii Cottæ caſtra ad Rhenum propius eſſe, ut & hac ratione in mediis Eburonum finibus dicerentur, & tamen Rheno ſubeſſe, reſpectu aliorum hibernorum, quæque prima Germanorum impetum exciperent. Huc accedit, quod Sicambros ad diripiendos Eburones

rones evocatos, ubi Rhenum tranſiſſent, longius progreſſos refert, ut ad hunc venirent locum: nec hominibus in bellis & latrociniis natis, paludes dicit, aut ſilvas in mora fuiſſe, neque prius viſos à Romanis militibus, objectis ab ea parte ſilvis, quam caſtris appropinquarent. Sic enim ab ipſis incolis accepimus; omnem illam regionem, quæ ad Moſam vergit, ad ipſum uſque oppidum, ſilvam quondam ingentem, & continuam fuiſſe, ita perplexam, & impeditam, ut unius vix diei itinere, ad eum fluvium penetraretur. & hæc quidem erant, ante conditas urbes, Gallorum propugnacula. Valles præterea magnas, & colles in his locis non deſideraveris, ut omnia quadrent Cæſaris deſcriptioni, quæ facilius agnoſcet quiſquis tam elegantem ac munitum urbis ſitum diligenter expenderit. Tungris Leodium revertimur, & hinc per *ſilvam Arduennam*, pagum vulgo

SPA

dictum, ob fontes acidos celebrem, qui v diſtat M., petivimus. Ad medium fere M. pagus eſt *Cenei* dictus, & in eo pons lapideus, ad quem Veſa fluvius Utam alium amnem recipit, & juncti Leodium petunt. Hinc *Louvegnie* pagus; & ipſe *Spa* in profun-

fundiſſima valle, præruptis ab omni fere parte circumcinctus montibus, ædificiis plurimis, etiam ultra quam ferat pagi conditio, excultus, ad excipiendos advenas, qui è longinquis regionibus ad hos medicatos fontes confluunt: eſtque eorum ab initio ſtatim æſtivi temporis ad ipſum uſque hiemis initium maxima in eo frequentia. In medio foro fons eſt itidem acidus, quem Sancti Remacli nuncupant, ab Epiſcopo Leodienſi, cui & paret hic locus, opere decoratus marmoreo, & inſcriptione: SANITATI SACRVM. Illi vero fontes omnium celeberrimi in altiſſimo ſunt montis jugo, inter ſilvas, ad medium fere M. ad quos arduo omnino & lapidoſo itinere aſcenditur, vehementi totius corporis exercitatione, quod ipſum ad recuperandam valetudinem, naturæque excitandum vigorem non minimi videbatur eſſe momenti. His fontibus nomen eſt apud vulgus *La Saviniere*, quo & montem nuncupant, à quo erumpunt: aquam vero *pohon*, quod nobis *poiſon* interpretabantur eadem ratione, qua quod ceteri Galli *maiſon*, ipſi ſua lingua *mahon* proferunt; rationemque reddunt, quod ante exploratum ejus uſum & naturam, letalem eam judicarent: hanc vero ſuam linguam vernaculam, *Romanam* adhuc vocant, & Germanos *Tiſchons* appellant, vetere ſci-

licet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

licet *Tuiſconum* vocabulo, & multas adhuc voces retinent ex veteri illa lingua, ſuam propius accedente ad originem, quas noſtra hæc politior jampridem exploſit. Ceterum hos fontes nemo melius deſcripſerit quam ipſis C. Plinii verbis lib. xxxi. ubi inquit: *Tungri civitas Galliæ, fontem habet inſignem, plurimis bullis ſtillantem, ferruginei ſaporis, quod ipſum non niſi in fine potus intelligitur; purgat hic corpora, tertianas febres diſcutit, calculorumq; vitia; eadē aqua igne admoto turbida fit, ad poſtremum rubeſcit.* Stabulenſe hinc Monaſterium, vulgo

STABLO,

in profunda itidem valle II diſtat M. ad Amblevam fluviolum, qui Uræ conjunctus ac poſtmodum Veſæ fluminibus, Leodii Moſæ miſcetur. Abbatia eſt magni nominis, & inprimis dives, diœceſis Leodienſis. Abbas inter Romani Imperii proceres recenſetur. Manſit hæc dignitas longo jam tempore in familia Comitum à Manderſcheit, ex qua erat Guilelmus Abbas *Stabulenſis*, & *Prumienſis*, (quod potens eſt, & opulentum aliud in hac eadem Arduenna, verſus Treviros cœnobium) qui arcem contra montem, è regione hujus cœnobii conſtruxit, ut habere ejus epitaphium quod in medio tem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

templo legimus. Obiit ann. MDXLVI. In hac arce Acta publica, libri manuſcripti, ac Eccleſiæ ſupellex pretioſior aſſervatur : in eadem eſt monetæ officina, & ipſi ibidem ut plurimum habitant Abbates : qui vero nunc rebus præeſt, ex eadem eſt Comitum familia. Templum incendio deformatum eſt. cum enim diruto vetere, quod ruinam minabatur, novum magna lapidum ac lignorum mole ædificarent, opus fulmine ictum conflagravit, atque eo caſu interruptum manet. Sunt & circa hoc cœnobium alia ædificia in eadem valle, quæ oppiduli formam conſtituunt. Dictum volunt *Stablo*, quaſi Luporum ſtabulum, quod tempore Divi Remacli, nihil aliud hoc loco eſſet, quam ſtabula alta ferarum. Et vulgo narrant, Remaclum eundem, cum monaſterium hoc conderet, aſini uſum miniſterio ad comportandam materiam : quem cum devoraſſet lupus, Remaclum lupum damnaſſe ad ſubeundas aſini vices, eumque ſe morigerum omnino præſtitiſſe; atque ea de cauſa lupum onera portantem effigiari in hujus loci inſignibus. Hoſpes, ad quem diverteramus, dicebat, ſe ejuſdem aliquando lupi exuvias vidiſſe, appenſas intrinſecus ad veteris illius templi veſtibulum; & cum id diruerent, ſe eas attrectaſſe, magna incolarum frequentia, qui ob id

ipſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

ipſum eo concurrerant; verum ob multam vetuſtatem vix dignoſcere potuiſſe, cujus eas eſſe animalis dicerent, uſque eo, ut nonnulli porcinam potius pellem judicarent. Hinc ad medium fere M. pagus eſt *Vuannen* contra montem, Stabulenſis ditionis, & hinc alius, ſed exiguus, in valle, quem *Ledevac* nominabant, ad rivulum quendam, cujus neſciebant nomen; limitem tantum eſſe aſſerebant Ducatus Luxemburgici. In quo quidem Ducatu primum hoc itinere occurrit *Salm* pagus in monte ſitus, inter rupes tamen altiores, loco arduo, & aſcenſu difficili, Comitatus titulo habetur. Et paullo longius arx eſt ejuſdem nominis inter duorum montium anguſtias, in monte etiam, ſed paullo humiliore. in valle ſunt caſæ aliquot, & rivulus. ad quem exſcinduntur lapides nigri fiſſiles ad integendas domos; vulgo *ardoiſes* vocant: & hujus loci præcipue commendantur. Hinc per eandem Arduennam, itinere aſpero admodum & ſaltuoſo,

HUFALIZAM

venimus, quod oppidulum eſt ad III M. ut reliqua fere hujus regionis, in profunda valle ad Ourtam fluviolum. arcem habet colli impoſitam, & Abbatiam. Ubi legimus epitaphium hoc, in monumento lapideo:

CHI

CHI GIST MESSIRES THIERIS SIRES DE HVFALIZE, KI DEVIAT LAN DE GRASSE MILHE CC. QVATRE.

Imago eſt viri, cum leone ad pedes, clypei inſigne crux aurea in campo cæruleo, crucibus reſperſo minutioribus ex eodem metallo. Erant & alia in eadem æde monumenta, quorum inſcriptiones ob vetuſtatem legi non poterant, nec de eis percunctati quidquam reſciſcere potuimus. Hinc ad II M.

BASTONIA

eſt oppidum loco ſatis plano, & quidem paullo cultiore: vetuſtum non eſſe aſſerebant ipſi opidani, ac vix annos CCCC ſtetiſſe, ante quod tempus nihil hoc loco eſſet præter agricolarum caſas; incrementum vero feciſſe ob mercatum rei potiſſimum pecuariæ ac frumentariæ; confluentibus huc mercatoribus ex omni Arduenna, & locis circumjacentibus: ita ut non improprie *Emporium* hoc *Arduennæ* nominaveris, vel ut ipſimet loquuntur, *Paris en Ardenne*. Forma eſt oblonga, & unica fere platea, ædificiis ab utraque parte bene cincta continetur, per quam ab una porta ad alteram paullum aſcenditur. unicum habet templum Divæ Genitrici dicatum, & Cruciferorum cœnobium. Hinc profecti ad III M.

MAR-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

MARTELENGAM

venimus, qui pagus eſt in valle ad Suram, vulgo *Saur*, fluviolum, qui ad oppidum *VVaſſerbillich* Moſellæ miſcetur. *Arlunium* hinc oppidum III diſtat M. ac medio fere itinere extremas Arduennæ partes conſtituunt hujus regionis incolæ: quod ex pulchriore agrorum aſpectu ac fertilitate volunt colligi, deſinente paullatim Arduennæ horrore. de qua, antequam reliqua aggrediamur, locus admonet pauca ſubjungere.

ARDVENNÆ

nomen eſt proculdubio antiquiſſimum, & Gallicum. C. Cæſar ſilvam dicit, quæ magnitudine ingenti per medios fines Trevirorum à flumine Rheno, ad initium Rhemorum ac Nervios pertineret, patens in longitudinem millibus amplius quingentis: & reliqui antiquiorum eandem fere deſcriptionem ſunt ſequuti. Hac ætate longe anguſtiores habet limites, ſic temporis ſucceſſu multis in locis exciſa, ad ſementem faciendam, vel ad alios uſus, (quod ipſum hodieque fieri videmus) ut maxima ex parte ſilvæ nomen amiſerit, quod ei potiſſimum parti remanſit, quæ eſt circa fanum D.Huber-

berti, & oppidum quod vulgo *Marce en Famine* nuncupant, ubi adhuc eſt continua ſilva procerarum arborum, fagorum præcipue, & annoſarum quercuum. & hæc cis Moſam, ultra quam ſilvæ adhuc multæ, quæ hujus olim partes cum fuerint, nunc à reliquo veluti avulſæ corpore, alia etiam ſortitæ ſunt nomina. & hoc quidem tempore Arduennæ nomen Moſa terminatur. Reliquam porro partem, cis Moſam dicimus, quæ pro ſilva non habetur; vulgo Arduennæ regionem; & ſua lingua *Le païs d'Ardenne* nuncupant, in qua ſunt oppida illa, & pagi, quæ jam attigimus. Omnia hinc ſaltibus, & dumentis horrida: raro proceriores ſilvæ, atque ea ſolitudo, qualis in nulla alia Belgicæ noſtræ parte. Et hoc quidem itinere, præter ea quæ jam nominavimus, vix ruſticorum tuguriola occurrunt, ſicubi in convallibus, ad aquarum rivulos prata, aut locus ſementi paullo commodior. Serunt autem avenam ut plurimum, nonnunquam & ſiliginem, eradicatis magno labore ſaltibus, quorum & cineribus ſtercorationis vice utuntur. nec vero terra ultra triennium ſationi ſufficit, quo exhauſta omnino ad annos XXVII, aut eo amplius inanis manet, ut vires reſumat: quo temporis intervallo priorem rurſus induit faciem, & denuo idem reſumendus labor, ut ad ſementem præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

præparetur. Triticum ferre nequit, atque
ea de cauſſa ipſi regionem tritici feracem ſua
lingua *Le blanc païs* nuncupant. Habet mul-
tis in locis fodinas ferri, ac carbonis lapi-
dei, quo fabri præcipue in officinis utuntur
quemque ſub Alberto primum antiſtite
qui Leodienſium erat XXXV, & anno CIↃ
CXCIX diem obiit, à fabro pauperculo
monſtratum refert Placentius: lingua vul-
gari *Hoville* vocant. De fontibus acidis jam
diximus in deſcriptione pagi *Spa*. Sunt cer-
te in his locis plurimi, ut ſapore vario, ita
diverſæ, ut ipſi aſſerunt, naturæ, ſed tamen
ferrugineum quiddam referentes omnes.
Nam quod pagi illius incolæ conantur per-
ſuadere, fontes ſuos ab auri venis ſaporem,
quem habent, obtinere, atque nonnunquam
ad montem quendam juxta pagum eundem
cerni exhalationes è terra quibus ſilices
minutulis quaſi auri guttis inficiantur: ob
hoc dictum exiſtimamus, ut ſuorum fon-
tium quam maxima ſit apud exteros com-
mendatio, ac eorum majore frequentia cele-
brentur. Sunt his in locis homines parvo
viventes, & laborioſi, ſalubri ſane corpore,
& longævi, ita ut centeſimum annum at-
tigiſſe, non ſit rari apud eos exempli. pro-
bitas eſt ut eorum, qui ſuo contenti, ac ut
non multum ſuos excedunt fines, ita nec
aliarum nationum delicias expetere vi-
dean-

deantur. Sed ad ſuſceptum iter revertamur.

ARLUNIUM

loco eſt eminenti omnino, quem tamen montem dicere nequeas. aſcenditur ab omni parte æquali clivo. Incendia jam aliquoties pertulit, quo caſu effectum, ut majorum ædificiorum ruinæ, ſupra reliquas extantes domos, primo aſpectu ſpeciem admirandam exhibeant: ut eſt nonnunquam in deformatione etiam ipſa pulchritudo, & ſæpius caſu nata varietas oculos magis detinet, quam vel arte elaboratiſſima opera. In oppido ipſo nihil eſt quod admodum mirere, præter has ipſas ruinas, ad quarum fundamenta, inſcriptiones antiquas plurimas, & Deorum gentilium ſimulacra, quibus Illuſtriſſimus Comes Petrus Erneſtus Mansfeldenſis fontem ſuum Luxemburgii decoravit, eruta narrabant, & nonnullis quoque in locis reperta antiqua numiſmata. De ejus tamen nomine, aut antiquitate, nihil habemus, præter vulgi opinionem, aſſerentis, ab *ara Lunæ*, quæ Dea hoc in loco coleretur, nomen ſumſiſſe, ut reliquos item planetas peculiares ſuas ſedes habuiſſe in hoc eodem Ducatu, quarum hodieque appellationes adhuc reſtare, Hiſtoria Egd-

berti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

berti archiepiſcopi Trevirenſis *Arralu-*
num caſtellum vocat, Comitatus titulo inſi-
gne. Hinc qua Luxemburgum iter eſt IIII
M. ſilva eſt alta, & ſupra modum amœna
in qua Nobilium monialium cœnobium
paſcua, & agri fertiles, pagi aliquot, inte
quos *Steynefurt* dictus vicus, ac tandem ap-
parent urbis ipſius turres & culmina. U
primum urbem ſumus ingreſſi; (quando
quidem & ſingulorum quæ nobis in ho
obvenerunt itinere, rationes tibi reddi ex-
petis) Joannem Moſlinium, virum amœn
& elegantis ingenii, qui ex familia eſt Phi-
lippi regis, nobis vero, ob animi candorem
amiciſſimum, adventum noſtrum præſto-
lantem offendimus, cui Illuſtriſſimus Co-
mes injunxerat, ut nos ad ſe deduceret. i
quo & paruimus, & ſumma excepti bene-
volentia, totum illum diem apud eum fui-
mus: quin meliore quoque noctis parte va-
riis ſermonibus, ultro citroque habitis, &
de re mathematica potiſſimum, qua Illu-
ſtriſſimus Comes apprime delectatur, con-
ſumpta, ibidem & pernoctavimus. Ampl
autem eſt planities, ad quam ex urbe qua a
Septentrionem vergitur, deſcenditur, alti
undique incincta montibus, quorum qu
recta urbem ſpectat, domum ipſam, quan-
tacunque ea eſt, ſinu quodammodo videtu
excipere, ſic bona ejus parte ad id exciſa, &
pror-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

prorſus adæquato ſi quid erat acclive. In quo amœnitati belle conſultum, (quid enim tantopere oculos oblectat, ac rei cujuſque novitas?) & effectum, ut lapides ad tantum opus non ſint aliunde quærendi. Hoc ſane modo tam magna moles multis tandem operis paullatim aſſurgit, ipſo Illuſtriſſimo Comite ſingula præſcribente. Sed præter cætera, quæ, ut pro tam magnificæ domus captu, conſtructa jam, aut aſſurgere adhuc videas, porticus in primis amplas mirabamur, quas, dum nos per ſingula ducit, ſe ad id deſtinaſſe dicebat, ut in eis reponeret, quæcunque nanciſci poſſet antiquitatis monumenta, quorum magnam jam habet copiam, ex diverſis locis, & Arlunio in primis, ut jam diximus, petitam: unde veluti antiquitatis coloniam huc deduxiſſe videtur, nec ullo alio in loco Arlunium illam antiquam quærendam eſſe. Sunt autem maxima ex parte ſimulacra Deorum gentilium, & epitaphia, quæ in crepidine fontis illius pulcherrimi, ac claritudinis eximiæ, quo dilectæ quondam conjugis Mariæ de Montmorency memoriam ſancte conſervat, crebro ad Mariæ fontem (ſic enim nuncupavit) adventando: ſic ſunt pari intervallo diſpoſita, ut liber ſit ab omni parte ad ſingulos lapides acceſſus, ex his Inſcriptiones nonnullas, quibus temporum injuria minus

no-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

nocuerat, viſum eſt huc referre. Sed ipſam prius inſcriptionem, qua Illuſtriſſ. Princep fontem hunc ſuum decoravit, audiamus

QVISQVE HVC ACCEDIS, SI TE AESTV SITISVE VRGET, HIC AESTVM QVIE TVS VITATO. SITIM PRONVS EXTINGVI TO. AQVAM MANV HAVRITO. OS LAVA TO. AT PEDE NE TVRBATO. NVDO COR PORE NE POLLVITO. QVIESCENTIBV ENIM CARISSIMÆ VXORIS MANIBV TRANQVILLAM VNDAM SACRAVIT. MA RIÆ DE NOMINE MARIÆ FONTEM NVN CVPAVIT. ÆTERNI SVI AMORIS TESTE LATENTES VASTA SVB RVPE LYMPHA ERVI. VIVO LAPIDE CINGI, ÆTERNASQ FLVERE IVSSIT P. E. C. M.

Inſcriptiones vero antiquæ ſic ſe habent:

D. M. IVRCINIVS D.
RINDO ET CALEN
AGATILLVS VXO
R F. C.

D. SEPTIMIO M.
SECVNDINO
CONIVGI. DE
FVNCTO. ET. SE
VERIANO. ET
SATVRO FILIIS
VIVIS PRIMVLIA
SATVRNA. ET. SI
BI. V. F.

[*Præcedentem Inſcriptionem Boiſſardus Gru-tero, pag.* DCCCXXVIII, 4. *communicavit, ex*

ex ara quæ Luxemburgi in domo Comitis Manſfeldii. Vt & ſequentem, ſcriptam in ara quadrangulari ædibus ejuſdem Comitis, pag. DCCCLXXXIX, 8.]

AVE SEXTI
JUCUNDE
VA-- E. SEXTI
JUCUNDE

$\overline{\text{MAE}}$RNIVS (i. e. MATERN.) MARI
NVS SIBI ET CENSOR
INIÆ FAVSTINÆ CO-
NIVGI DEFVNCTÆ.

D. PEMAVSIO LAGANE M.
[illegible] DONI [illegible] ASSE MONIMEN
[illegible] VM FILII FACIENDVM DE
SVO CVRAVERVNT

D. M.
DAGVO DAC
SILLVS)(EBTIO
CATOS VITO FECI.

D M.
ATTIANI
MEMMOLI.

ATRI F PATRIBUS ||

Ex hac planitie qua in urbem primum
aſcenditur, unico omnino clivo, pons eſt
lapideus ſupra Alizuntem, fluvium, vulgo
Alſitz, & in rupe demum alta & prærupta
ab utraque parte ruinæ fornicum arcis ve-
teris. quæ

LVXEMBVRGVM olim, vel, ut malunt
alii, LVTZELBVRGVM,

& urbi nomen dediſſe fertur. nihil enim
hoc loco fuiſſe tempore Othonis Magn
Aug. præter caſtellum, quod Sigifridu
quidam, ſive Gilbertus Ricuini Arduen
nenſis, in hiſtoriis ſatis celebris, filius, cum
ab Abbate cœnobii Sancti Maximi Trevi
renſis obtinuiſſet, eo ampliato, conſenſ
Brunonis Ducis Lotharingiæ, qui ejuſden
Imp. Othonis frater erat, Comitatum Lu
xemburgicum inſtituit. Venceſlaus tanden
frater Joannis Luxemburgici ex auctorita
te Caroli IV Aug. cujus erat patruus, Du
catus titulum aſſumſit. Hic & ruinas vi
deas cœnobii vetuſti quod vulgo *Munſte*
vocant, atque hinc paullatim in urbem
ipſam, quam recentiorem nuncupant, ad
ſcenditur. Vetus enim quæ dicitur, a
hujus rupis radices à ſiniſtra in profundi
ſima valle, pro ſuburbio nunc habetur.
enim cum ob undique impendentes mon

tes præaltos, ægre defendi poſſet, pro ea qua nunc utuntur oppugnationis ratione, placuit in eorum altiore, unde plurimum noceri potuit, & urbi & caſtro, oppidum id condere, quod recens, ut diximus, vocant, mœnibus & propugnaculis egregie munitum, ut ea nunc paſſim ſolent erigere ad excipiendos machinarum tormentariarum impetus. Quo primum id tempore conditum fuerit, neſciebant oppidani ipſi: planum fere eſt, niſi quod verſus arcem illam antiquam paullum deſcendatur, & ædificiis lapideis ſatis excultum; ita tamen ut plurima adhuc reſtent incendiorum, quæ jam aliquoties pertulit, quo tempore Imp. Carolus V Aug. cum Francorum rege Franciſco I bellum gerebat, manifeſtiſſima veſtigia. Eſt in eo Franciſcanorum cœnobium, quod ex primis fuiſſe ejus ordinis, ex epitaphiis, quæ in eo viſuntur, volunt colligi; ejus enim ea eſſe ætatis qua B. Franciſcus adhuc in vivis erat. Vidimus hic poſt ſummum altare in capulo ligneo, eoque aperto, corpus ipſum adhuc ſat integrum Joannis regis Bohemiæ, ejus qui Luxemburgicus dicebatur, quod ex incendio veteris cœnobii, de quo ſupra diximus, huc tranſlatum ferebant. Erat hic filius Imp. Henrici VII, ac pater Imp. Caroli IV Aug. qui anno ſal. MCCCXLIIX, dum Fran-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

corum regi militat adverſus Britannos, in prœlio occubuit. Luxemburgo

NANCEIVM

per Mediomatricorum fines cogitabamus, ſed cum morbus contagioſus diceretur toto eo tractu & in ipſa adeo Mediomatricorum urbe graſſari, atque ea de cauſſa in Lotharingicas urbes non admitti qui illac tranſiſſent, neceſſum fuit vitatis urbibus Nanceium recta petere, quæ hinc XVI diſtat M., & idem fere iter bis conficere. verum ut in regreſſu omnia diligentius expendimus, ſic ejus poſt Nanceium ſuo ordine ſequetur deſcriptio. De *Lotharingia*, ejuſque nominis ratione ſupra meminimus. ejus ſane metropolis eſt Nanceium, oppidum non ita magnum, pulchro tamen ſitu: eſt enim loco plano, forma fere quadrata, ac Lotharingicorum Ducum palatio clarum, quod Antonius Dux magnifico ædificio ampliavit, & hic Carolus, qui nunc rebus præeſt, Cœnaculum adjunxit, quod vel trium menſium abſolvit ſpatio, ut in eo Henricum Andegavenſium tunc Ducem, dum is ad Polonicum regnum proficiſcitur, exciperet. Factæ ſunt & in eo exequiæ Claudiæ Valeſiæ Henrici II Francorum regis filiæ, ejuſque conjugis, nuper admodum de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

defunctæ, more in ea familia uſitato. Imago ipſius defunctæ, vivæ quam ſimillima, regalibus induta veſtibus in lecto ſublimi collocata erat; ad eam quotidie mane accedebant famulæ, ac domeſtici nobiliores, qui circa vivam aſſueverant, quaſi & adhuc dominam ſalutaturi; Medici etiam ut conſultaturi de ejus valetudine: & tempore ſolito poſita ante lectum menſa, cibi apponebantur per eos, qui vivæ miniſtrabant, pauperibus tamen mox abſoluta cerimonia diſtribuendi. Et hoc XL dierum ſpatio, quo toto etiam tempore, templa in ipſa urbe clauſa ſunt, & ſolita ſacra omnia in hoc ſolo fiunt Cœnaculo, extructo ad id altari. Senatus omnis atratus incedit, atque annum integrum à tripudiis & ſaltationibus abſtinetur. Prope palatium ædes eſt D. Georgii, in qua monumentum Caroli Burgundionum Ducis, cui hanc dicebant appendiſſe inſcriptionem:

Carolus hoc buſto Burgundæ gloria gentis
Conditur, Europæ qui fuit ante timor:
Ganda rebellatrix hoc plebs domitore, crematas
Poſt patriæ leges, perpete preſſa jugo eſt.
Nec minus hunc ſenſit tellus Leodina cruentum,
Cum ferro & flammis urbs populata fuit.
Monte ſub Heritio Francas cum rege cohortes

Inpavidam valido truſerat enſe fugam.
Hoſtibus expulſis Eduardum in regna locavit
Anglica, primævo reſtituens ſolio.
Bella ducum, regumque, & Cæſaris omnia ſpernens,
Totus in effuſo ſanguine lætus erat.
Denique dum ſolitis fidit temerarius armis,
Atque Lotharingo cum Duce bella movet:
Sanguineam vomuit media inter prœlia vitam,
Aureaque hoſtili vellera liquit humo.
Ergo triumphator longæva in ſecla Renatus
Palmam de tanto Principe victor habet.
O tibi, qui terras quæſiſti Carole, cœlum
Det Deus, & ſpretas antea pacis opes.
Nunc dic Nanceios cernens ex æthere muros,
A clemente ferox hoſte recondor ibi.
Diſcite terrenis quid ſit confidere rebus:
Hic totiens victor denique victus adeſt.

Aliud.

Dux jacet hic Carolus, Belgarum illa ignea virtus,
Cui Mavors dederat bella gerenda pater:

Quem

Quem timuit ſubitis animoſus Gallus in armis,
Cuique Alemanorum terga dedere duces:
Quique animum Heſperias bellis agitabat in urbes,
Sed ſubito invertit ſors truculenta viam.
Nam cum Ranerium bello ſibi provocat hoſtem,
Occubuit fuſo milite ſtratus humi.
Quæ ne tanta viri laus inteſtata jaceret;
Hoc victor victi condidit oſſa loco.
eCCe Leo CeCIdIt, Iam paX qVæſIta VIgebIt.

Corporis ejus reliquias, Maria Caroli V Aug. ſoror an. Sal. MDL. hinc transferri, & Brugis Flandrorum ſumtuoſiſſimo componi monumento curavit. Locus ubi oppetiit, oſtenditur non procul ab ipſa urbe ad rivulum quendam, quem ut cæſo jam exercitu, fugiens parat tranſilire, effuſo equo, ibidem & confoſſum ferunt. Crucem hic lapideam videas cum hac inſcriptione Gallica in ærea lamina:

En l'an de l'incarnation,
Mil quatrecens ſeptante & ſix,
Veille de l'apparition,
Fut ce Duc de Bourgongne occis,
Et en bataille ici tranſſis,

Ou croix ſuis miſe pour memoire,
René Duc des Lorrains, mercis
Rendant à Dieu eut la victoire.

Eſt & paullo altius, ubi prœlium id commiſſum volunt, ſacellum quod Burgundionum vocant, cum adjuncto cœmiterio, & tabula ærea, in qua Gallici verſus, qui infra ſequuntur:

Mil quatre cens ſoixante & ſeize advint,
Que Charles Duc de Bourgongne ici vint,
Acompaginé de ſoudars & gendarmes,
Cuidant Nanci ſurprendre à force d'armes,
Veille des Rois qu'on depart le gaſteau,
Il fut occis en paſſant un ruiſſeau.
Et la pluſpart de ſes hommes de guerre
Furent occis, & ſemés ſur la terre,
Puis recueillis par le commandement
Du preux René, qui vertueuſement
Obtint ſur eux gloriuſe victoire,
Dont les corps ſont ci giſans en memoire
De ce conflict. Renée de Burbon
Noble princeſſe, aiant vouloir tresbon
Femme du tres illuſtre Duc Antoine
Fils de Renè noble duc de Lorraine,
A fait baſtir ce cimitiere, & croix,
L'an mil cincq cens avecq; vingt & trois.
Priez à Dieu, que par ſa ſaincte grace
Aux treſpaſſés pardon & merci face.

Et hæc quidem de Carolo, Regis Philippi abavo, de cujus interitu multum eſt diu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

que dubitatum, cum talem Imperatorem tot rebus geſtis clariſſimum, vix unquam ſuperari poſſe exiſtimarent. Sunt in hac eadem D. Georgii æde Lotharingicorum aliquot Ducum tumuli, ſine inſcriptionibus, ut & in aliis templis; certum enim ſepulturæ locum non habent. Ex poſterioribus tamen magna pars ad D. Franciſci, quæ ad alterum eſt palatii latus, tumulata eſt, ubi Dux Renatus; qui rex idem erat Siciliæ, monumentum habet magnificum: hic & Dux Antonius, & Franciſcus hujus pater, & ipſa ejus Claudia, ad cujus recentem tumulum appenſæ virorum doctorum lachrymæ, & frequentes omnium ordinum gemitus, eximiam ejus erga ſingulos pietatem tam clare teſtantur, ut amiſſæ Principis deſiderium, nec ipſa temporis longinquitate videatur emolliendum. Ad urbis mœnia fluit *Meurta* dictus fluvius, qui III hinc M. paullum ſupra arcem *Condei* dictam Moſellæ miſcetur. Ejus apud antiquos ſcriptores, quod quidem ſciamus, nulla exſtat mentio, ut nec hujus ipſius urbis. quam tamen Ptolemæi *Naſium*, ſive *Naſſium*, quod & in Antonini, de quo ſupra, Itinerario reperitur, non incommode poſſis exiſtimare. Et hæc fere ſunt, quæ hoc loco notanda putavimus; niſi quem & munitionis ratio, mœnium & propugnaculorum diſpoſitio, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

armamentarium delectet, machinis bellicis omnis generis inſtructiſſimum, ad quæ facile nobis patuit acceſſus, inclyti Comitis Salmenſis, qui hoc tempore Duce abſente toti Lotharingiæ præerat, comitate erga nos ſingulari: & Johannes Scillius noſter eidem Comiti, & ipſi adeo Duci, ob inſignem in re geographica peritiam juxta & diligentiam gratiſſimus, per ſingula nos deduxit, omnium uſum commonſtrans, ut eſt in ea profeſſione verſatiſſimus. Eundem & comitem habuimus ad D. Nicolai fanum, quod ad II hinc eſt M. ſupra eundem Meurtam fluvium, loco plano, & fertili. Ædificium eſt non ita vetuſti operis, ſed magnæ ſane molis, & ſtructuræ altæ, luminoſum omnino. Sed columnas in primis, quæ totum faſtigium ſuſtentant, mirabamur, ejus altitudinis, tum gracilitatis, ut tanto oneri vix pares judicares. Turres habet duas à fronte, in quarum una Caroli Lotharingici Cardinalis, qui idem Metenſis erat Epiſcopus, cuique hæc parebat eccleſia ſub Prioratus, ut loquuntur, titulo, in ſummo culmine Symbolum: obeliſcus ſcilicet, cum hedera circumplicata, & inſcriptione, TE STANTE VIREBO. Aſſervatur in hac æde ex Divi Nicolai, Myræ epiſcopi, quæ urbs erat Lyciæ, ex eadem Lycia, Patera urbe, oriundi, manus articulus unus, incluſus auro, gem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

mis multis interſtincto: unde hujus primum loci nata religio, & advenarum frequentia in eam excrevit amplitudinem, ut jam non pagum, ſed urbem, & quidem totius Lotharingiæ cultiſſimam poſſis dicere, ſi muro clauderetur. ea eſt ædificiorum venuſtate, viarum apta diſpoſitione, incolarum multitudine, ut nihil ultra requiri poſſit; ſed ob mercaturam præcipue, & omnis generis opificia commendatur, & mercatores in primis opulentos habere fertur. Hic & nos conſtituta peregrinationis hujus meta, Nanceium revertimur.

Nanceio egreſſis ſecundum Meurtæ fluminis ripam, occurrit ad montium radices pagus *Marcheville*, cujus incolas perfidia aliquando in ſuum Ducem (eum hiſtoriæ Fridericum II appellant) notatos ferebant, atque ea de cauſſa, quotieſcunque cum reliquis Principis domeſticis epulari contingit, panem eis inverſum apponi. Exſtant ibidem rudera rotundæ turris, in qua is Dux ex venatione ſubductus ad triennium detentus dicatur. & alia multa de eodem paſſim circumferuntur. Toto hoc itinere à dextris prata ſunt virentia, quæ Meurta leni flumine præterlambit, aut gratis irrigat anfractibus. à læva continui quodammodo montes, & ad eorum radices fertiles agri, ob tritici potiſſimum bonitatem commen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

mendati. multus in eis provenit ebulus, quem fertilitatem dicunt portendere, & quidem totius antiquitatis conſenſu: ſic enim Cato apud Plinium inter frumentarii ſoli notas primum ponit ebulum, & piros quoque maloſque ſilveſtres enumerat. Vidimus hic & ſorbos, & proceras arbores quas ſua lingua *erable* vocant; Latinis acer eſt. Pirorum præterea ac malorum ingentem copiam, ex quorum ſilveſtribus potum ſibi conficiunt, quem & limpidum fieri ut vinum, & integrum fere annum conſervari incorruptum aſſerebant. Hinc ad *Moſellam* venitur, quem Meurta loco plano, inter prata, paullatim accedit, & longo tractu æquali quaſi curſu comitatur, relicta inter utrumque alveum exigua admodum terra, donec tandem paullum ſupra *Condeium* arcem, quæ à dextris in rupe eſt, pago ſibi cognomini impendens, facto cum Moſellæ alveo angulo acutiſſimo, ejus & aquis miſcetur. Ultra Moſellam ſacellum eſt D. Euchario dicatum; ad cujus limen inſcriptionem hanc (ſi quem ea mediæ ætatis elegantia delectat) excepimus ex tabula lapidea:

Ex Catalonia regis proſapia Baccii & Lientrudis editi ſunt nobiliſſimi ſanctique, ſubſcripti videlicet Sanctus Eucharius, Sanctus Elighius, Sancta Libaria, Sancta Suſanna, San-

Sancta Memia, Sancta Oda, & Sancta Gertrudis, quorum dignis ſuffragiis & glorioſis meritis cum ipſis aſſociemur in cœlis.

Pour l'amour du createur ici en ceſt lieu, & alentour nobles barons, chevaliers, & champions de la foi de la vie eternellle ayans la ſoif, deſquels le mireur & exemplaire eſtoit Monſ. S. Euchaire par VVanldres Sarazins, & payens eſtans avec l'apoſtat Iulien vingtz deux centz par nombre, ſont ici mis encomble en l'an CCCLXII. *La* X *Calende de Mai, furent mis en ceſte mactz.*

HI FELICES PRÆLIBATI
JULIANI GLADIO SVNT TRUNCATI.

A Nanceio III circiter M. in ſiniſtra Moſellæ ripa pagus eſt, vulgo *Dieulevvart* dictus, & arx in rupe, ad cujus pedem erumpunt gelidiſſimi fontes, magna aquarum abundantia. Hic paullo ulterius ad eandem Moſellæ ripam vicus eſt exiguus *Sarpainge*, de cujus antiquitate multa incolæ referebant: Oppidum olim amplum fuiſſe à Sarpignia quadam regina denominatum, quæ & in eo regiam habuerit. Oſtenduntin ejus rei teſtimonium ruinas quaſdam murorum, ubi thermas quondam fuiſſe volebant. nos quæ eorum figura fuiſſet non valebamus conjicere, tantum ſubdubitabamus

num

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

num caſtrorum inſerviiſſent munitioni, cum eorum magna ſit craſſitudo; & foramina in eis cernantur adhuc rotunda & anguſta, quaſi ad ejaculanda miſſilia. hic & numiſmata antiqua erui; & hoſpes ad quem diverteramus nobis dedit æreum nummum C. Cæſaris Caligulæ, quem ſe ibidem reperiſſe affirmabat. Exſtat in pariete domus cujuſdam ruſticæ antiquum marmor, in quo reginæ illius imaginem eſſe volunt. eſt manu omnino artifice ſcalpta imago muliebris, longioribus induta veſtibus, equæ inſidens, quam pullus videtur lactare; ipſa vero calathum, aut ſimile quidpiam geſtat, in quo pomorum figuram, ficubus haud abſimilium, videbamur dignoſcere. Suſpicari ſane eſt ex hac ſcalptura locum hunc alicujus olim nominis fuiſſe: ſed de hoc, ut & de aliis quamplurimis, deſiderantur hiſtoriæ; fabellarum vero inanium apud profanum vulgus nullum eſſe modum, nemini non exploratum exiſtimamus. Hinc ad 1. M. urbs eſt ad utramque Moſellæ ripam, quas pons connectit lapideus, à quo, & arce, quæ è regione ejus eſt in alto montis vertice *Moſon* dicta, vulgo *le pont à Moſon* appellatur, Latine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

MVSSIPONTUM

novo vocabulo, ut & ipſum oppidum non ita vetus habetur, atque paullatim ob pontis commoditatem coaluiſſe ferunt. Nihil vidimus in eo quod antiquitatem ullam referat. Philippa Antonii Ducis, cujus ſupra meminimus, Geldriæ Ducis filia (unde & Lotharingici adhuc Principes in ſuo clypeo Geldriæ pingunt inſignia) cœnobium hic ædificavit Divæ Claræ, & ipſa in eo, poſtquam moniali veſtitu, atque profeſſione, aliquot annos egiſſet, diem clauſit ſupremum: viſiturque ejus monumentum, ad quod ipſa in eodem veſtitu àd vivum expreſſa. vultus è marmore eſt candidiſſimo. veſtis interior nigrum, ſuperior griſeum refert colorem, ipſo marmore hos colores omnes miniſtrante; quod & hinc non procul exciſum affirmabant. Hinc denuo ad Moſellæ ripam, ſed dexteram, ſecundo flumine progredimur itinere amœno penitus. nam ad flumen prata, paullo altius campi fertiles, ac demum mons veluti continuus, & ſilvæ. ad montis pedem plurimi pagi, & arces in ſummis jugis poſitæ. ad lævam fluminis, niſi quod montes paullo depreſſiores apparent, eadem eſt fere facies. In hoc itinere pagus eſt *Iouy* vulgo dictus.

in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

inter montium radices, & Moſellam, ubi quantacunque eſt inter montes utroſque, qui ripas ambiunt, diſtantia, aquæductum antiquitus fuiſſe, indicant ejuſdem, quæ adhuc exſtant, reliquiæ: arcus enim adhuc reſtant multi, ſuntque ex albo lapide, in laterum formam diſſecto; & nonnulli quoque ejuſdem operis in adverſa ripa cernuntur. Incolæ aſſerebant in eodem loco fontem hodieque eſſe; quamvis hos arcus (ſolita inſcitia) ponti inſerviiſſe putantes, & ab hoc pago in montis ipſius jugo minores alios arcus fuiſſe dicebant, qui verſus urbem Metenſem, quæ I hinc diſtat M., excurriſſe viderentur. Altitudo juxta ripam pedum eſt circiter LX. Unde conjicere eſt, quanta totius operis moles fuerit, quantaque altitudo arcuum qui in ipſo erant fluminis alveo, quorum hodie nihil ſupereſt. Referebant iidem incolæ ſuperiorem arcuum partem planam omnino eſſe, cœmento rubei coloris inductam, & in ejus medio domunculam non ita multis abhinc annis adhuc fuiſſe, ab utraque parte patentem, quam nos partem tecti fuiſſe quæ tubum tegeret ſuſpicabamur. Hinc ipſam videre eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

METENSEM URBEM

in ampla planitie, quam Moſella in varios diviſus alveos irrigat, & pars quidem ejus muros ad lævam lambit, pars & eoſdem ſubit, ut civium uſibus inſerviat, atque ſic diviſim fluit ad inferiorem uſque eorum ambitum, ubi recepto Sella altero flumine, qui dexteram urbis partem alluit, in unum denuo alveum colligitur. Sed ſitu in primis ipſius urbis delectabamur: cum enim agrum late circumjacentem planum habeat, ejus tamen area paullum prominet, ut in eo Veterum rationem in condendis urbibus agnoſcas. ad ſummum ſiquidem templum multis gradibus aſcenditur, juxta quod forum rerum venalium, altiorem totius areæ partem occupat, & ab eo undique verſus muros paullatim deſcenditur, prærupto tantum in una parte clivo, ubi vias duas lapidibus ſtratas, ſic diſpoſitas videas, ut altera per alterius domorum culmina excurrat. Templum Divi Stephani nomen tenet, qui civitatis eſt patronus, pulcherrimum vero opus, ſi quod aliud toto hoc itinere vidimus, & ſua mole ſpectabile, quodque raro accidit, omni ex parte conſummatum, dicebatur in eo fuiſſe crucifixi ligneam imaginem totam laminis aureis

ſu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

ſuperinductam. Vidimus labrum porphyreticum rubei coloris, magnæ capacitatis, pedes x longitudine excedens, in quo luſtrales aquas adſervant. Sunt & alia in hac eadem urbe ſumtuoſa templa. & multa erant in ejus ſuburbiis, inter quæ D. Arnolphi Baſilica, Imp. Ludovici Pii Aug. Caroli F. & filiarum aliquot Pipini regis ſepultura celebrit. Omnia hæc abſumſit belli rabies, ita ut ſuburbii ne veſtigium quidem nunc ſuperſit, neque ultra muros quidquam præter campeſtria videas. Antiquorum hanc eſſe *Divodurum Medicmatricorum* oppidum, ut eſt apud Cornelium Tacitum, exiſtimamus, cum toto hoc tractu nullum aliud reſtet, quod æque antiquitatem referat, quodve ad Veterum deſcriptiones melius conveniat. & fuit hoc ſane ſingulis temporibus celebre, ipſique Trevirorum urbi quodammodo æquale, ut Ammianus quoque Marcellinus, qui ſcripſit tempore Valentiniani & Valentis Augg., ubi Galliam deſcribit, utrumque eadem dignitate in Belgica prima conſtituit, & hoc quidem Mediomatricos, illud Treviros, *domicilium Principum clarum*, (ut de oppido ipſo eum loqui, non de populo conſtet) nominat; jam tum propriis locorum nominibus ex uſu communi evaneſcentibus, ut oppida ipſa populorum nominibus appellarentur. Sic quæ apud

apud Cæſarem urbium nomina Durocorto-rum, Bratuſpantium, Lutetia, & alia multa in uſu eſſe deſierunt, manentibus populorum appellationibus, Remi, Pariſii, Bellovaci, ipſis locis attributis. Exſtat tamen *Divoduri* appellatio apud Ptolemæum & Tacitum, item & in Provinciarum Itinerario, cujus jam aliquoties meminimus. Sed antequam Mediomatricorum urbe, hodieque celeberrima, excedamus, placet inſcriptionem antiquam huc referre, quam in ædibus Joannis Daubri argentarii ex baſi quadrilatera, quam inter rudera portæ publicæ erutam dicebat, excepimus: ejus itaque ſingulæ facies hæc habent verba, à prima, quæ videbatur, ſiniſtrorſum legendo:

1.

I. O. M.
IN HONOR
DOMVS DIVI
NÆ VICVS HO
NORIS PVBLICE
POSVER. HI QVI
INFRASCRIBTI SvN-
CVRA EORVM. T. IVL
ADIVTORIS. M PAVLLI
MARTIALIS. P. DONNA
XI.

2.

Q. GIAMIVS
BELLVS ET
COMMVNIS

CIA-

GIAMI FILI
ELVORIX
VARICILLI F.
MELVSCINTVS
M. I. F.

3.

M. MACIRIVS
≡TRECTVS MANI
PRETIVM DONAVI
≡ERENTINVS ET
PEREGRINVS IL
LANVISSÆ FILII
GAIVS GERM. CO
ROBVS. SEXELV
IVS. CLEMENS.

4.

P. ATTIVS
ANTIGVS
L. VETTIVS
DERCOIE
DVS. M. VET
TIVS MER
CATOR.

Moſella Sellæ aquis auctior per plana fluit, verſus

THEO-

THEODONIS VILLAM,

ſic eam Regino Prumienſis, & ejus ætatis ſcriptores appellant, Gallis *Thionville*, ipſis Germanice autem loquentibus *Dittenhoffen* dictam. Oppidulum eſt munitum, & belli cladibus notum. De ejus origine nobis nihil conſtat. Si quis vernaculum ejus nomen attendat, ſuſpicari poſſet, ab eodem Theodone denominatum (quiſquis tandem ille fuerit) à quo & mons, Luxemburgo non procul, *der Dittelberg* dictus. quod enim Latinis *Theo*, id apud Germanos fere in *Dith*, aut *Thit* commutatur, ut videre eſt in *Theodorus* & *Theobaldus*, quæ ipſi in *Dithrick*, & *Thibald* commutant. Eſt autem mons ille non ita altus & ab omni parte ſenſim acclivis, in quo oppidum olim fuiſſe aſſerunt. erui enim quotidie ædificiorum rudera, multa etiam antiqui operis; & in agrorum diſtinctionibus adhuc in uſu eſſe appellationes, quibus urbium regiones, & partes deſignantur. Tilemannus Stella putat *Auguſtam Romanduorum* fuiſſe: convenire enim adamuſſim hujus loci ſitum cum Cl. Ptolemæi deſcriptione. In quo fortaſſe propius rem attigit, quam qui ejus loco Luxemburgum ipſam reponunt, cum ea nec ſit ita vetus, ut poſſit ad eam anti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

antiquitatem referri, ac de ejus conſtet initiis. Nos vero eam Auguſtam quam eandem Veromanduorum dici videmus, in ipſis potius Veromanduis non procul Divi Quintini fano conſtituendam judicamus. Ad hanc eandem ſiniſtram Moſellæ ripam multi ſunt pagi, ditionis Luxemburgicæ omnes, ut qui ad alteram Lotharingici fere ſunt Ducatus. hic & *Siexck* vulgo dictum oppidulum, & arx contra montem: hic enim Moſella paullatim aliam induit faciem, attollentibus ſe ab utraque parte ripis, donec jam excelſi ſint montes; nec humilioribus fere eſt ripis ad ipſum uſque oſtium quo in Rhenum intrat. Eſt aliud paullo inferius Luxemburgicum oppidulum ad lævam, *Graffen Machern* dictum, & pagus *VVaſſerbillich*, ubi *Sura* fluvius (ſic enim ab Auſonio appellatur, vulgo *Saur*) Moſellæ confunditur, & ſua habet ad ipſum oſtium vineta. hinc non procul in eademque ripa pagus eſt *Igel* vulgo nominatus, ubi in loco eminenti ſpectatur nobiliſſimum illud venerandæ antiquitatis monumentum, quo nec cis Alpes inſignius aliud exſtare exiſtimamus, quodque ipſis adeo Italis poſſimus oſtentare. Moles eſt lapidea ex quadrata baſe pedum XII ſenſim aſſurgens ad pedum circiter LXXIV altitudinem, tota ab omni parte variis imaginibus ſemiplanis inſculpta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

pta. In faſtigio aquilæ reſtat fragmentum, globo inſidentis, cui expanſæ alæ, & ante pectus velum fuiſſe apparet. Prima fronte tres oſtentat imagines itidem ſemiplanas, procerioris ſtaturæ; & quidem quæ ad dextram viri, ſiniſtra mulieris eſſe videtur, dextras jungunt; media ob vetuſtatem ægre poteſt dignoſci. Has nonnulli Fidii ſimulacrum, quale & Romæ etiamnum exſtet, conſtituere exiſtimarunt; nos & fidem conjugalem, & eos ipſos, in quorum memoriam ſit poſitum hoc monumentum, quorumque in inſcriptione fiat mentio, repræſentare ſuſpicabamur. Sunt ſupra earum capita tres itidem facies, ex plano circulari prominentes, quæ & fortaſſe vultus referebant: Ad pedes inſcriptio, cujus quam accurate fieri potuit, reliquias hic ſubjecimus,

D. T. SECV : : : : G . . . M

N. : : : LIS SECVNDINI. SECVRI. ET. PVBLIÆ. PACATÆ. CONIVGI. SECVNDINI. A . . NTINI. ET. L. SACCIO. MODESTO. ET. MODESTIO. MACEDONI. FILIO. ET. IVST. SECVNDIN. S. AVENTINVS. ET. SECVNDI:::: CVRVS PARENTIBVS. DEFVNCTIS. ET:::::::: VIVIVTÆ EPE:::: ERVNT.

Ex quibus ſane verbis patet, nihil aliud hoc, quam epitaphium eſſe, qualia etiamnum multa exſtant. Sub inſcriptione ad aſim imago eſt legentis ex pulpito, & auſcul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

ſcultantium turba. In ſuperiore limbo minutiores imagines cernas, & in medio quidem quatuor epulantium, more antiquorum. duæ enim accumbunt; qui mos virorum erat: & menſæ aſſident aliæ duæ, ut mulieres ſolebant. Ad dextram miniſtri, quorum alter de abaco pocula ſumere, alter infundere videtur, ad ſiniſtram alius edulia parare. Et hæc fere quæ in frontiſpicio dignoſci poſſunt, qua moles viam publicam ſpectat. à tergo circulus (*Zodiacus*) eſt, cum figuris quibuſdam, & in quatuor angulis ventorum capita. in ejus medio bigæ, & viri imago barbati, quiddam geſtantis parazonio haud abſimile. ad dextrum latus, inferius quidem, trigarum veſtigia apparent, currum trahentium, & complicatas ſarcinas mercatorum more. pars ſuperior bigas habet, & carpentum, in quo duo ſedent. Reliquas imagines ſic attrivit tempus, ut earum fere nihil emineat. Eſt hæc moles loco, ut diximus, bene conſpicuo, in agroque quadrato, quem & huic monumento attributum, ut veterum erat circa ſepulturas conſuetudo, judicabamus; quo jure etiam hoc tempore manet, nec ad uſus alios occupatur. Infra hunc locum, in adverſa tamen ripa, oſtium eſt *Saravi*, ut Auſonio dicitur, qui & *Sarra* fluminis; & pons lapideus ſupra eundem fluvium à Moſella

non

non procul, qui à pago vicino, *Kuntz, die Kuntzerbrug* dicitur, arcubus amplitudinis admirandæ ſpectabilis; quorum qui in medio ad fluminis alveum, omnium eſt altiſſimus, tum latiſſimus; reliqui ad latera ſenſim humiliores; quo & ipſa pontis ſuperficies ad utramque ripam paullatim procumbit, & operis firmitudini egregie proviſum; ut in eo veterum artificum magiſtras manus agnoſcas. ad utramque ejus partem ſunt ſpeculæ, Trevirorum excubiæ; hujus meminit & Auſonius in delicatiſſimo illo carmine, quo hunc ipſum Moſellam celebrat, his verbis:

Tuque per obliqui fauces vexate Saravi
Qua bis terna fremunt ſcopuloſis oſtia pilis,
Cum defluxiſti famæ majoris in amnem,
Liberior laxos exerces Barbe natatus.

Fluminis hujus & denuo meminit in hoc eodem carmine, ne quis de ejus ambigat nomine:

Naviger undiſona dudum me mole Saravus
Torta veſte vocat, longum qui diſtulit amnem,
Feſſa ſub Auguſtis ut volveret oſtia muris.

Cæterum hic locus ob *piſcationem* ſummopere commendatur: hic *Sturiones* ut nunc vocantur, qui ab Auſonio *Siluri* dici

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

videntur, vaſto corpore magna admodum copia captantur; *Salmones, alauſæ*: & præter reliqua piſcium genera, quæ luculenter ille, ut omnia, decantat, piſcem, quem vulgo *Plateis*, Auſonius idem in carmine quodam ad Theonem *plateſſam* videtur nominare, qui omnino marinus piſcis eſt, hic ibidem aliquando captum referebant nautæ, tantamque eſſe in hoc amne piſcium omnigenum fœturam, ut cum nullo alio conferendus videatur. De hoc Sarræ fluminis, & Moſellæ confluente, intelligenda volunt nonnulli Suetonii verba in C. Cæſare Caligula, ubi de ipſius agit Imperatoris natalibus; *Plinius*, inquit, *Secundus in Treviris vico Ambiatico ſupra Confluentes genitum ſcribit.* Pagum ſane *Ambitivum* reperimus in diplomate quodam Pepini regis; in alio item Imper. Caroli Magni Aug. ejus filii, ejuſdem fere tenoris, in quibus inter reliquas donationes factas cœnobio Divi Maximini Trevirenſis, enumerant Eccleſiam Sancti Martini in pago Ambitivo conſtructam. Verum ubi hæc ſit Eccleſia, vel pagus, quanquam de eo diligenter percunctati, hactenus non potuimus reſciſcere. Sed ad propoſitum iter revertamur. A Saravi oſtio ipſam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

TREVIRORVM URBEM

accedentibus, primum occurrit Divi Matthiæ cœnobium, in cujus cœmeterio multæ ſunt cryptæ, & in eis Divorum tumuli. ad unius earum caput inſcriptionem hanc antiquam excepimus.

INFANTI DVLCISSI-
MO DEFVNCTO
QVI VIXIT MENSES V.
DIES XX. PATER ET
MATER PIISS. FECER.

Ab utroque latere hujus inſcriptionis adſculpti ſunt duo Genii alati. Eſt in hoc eodem cœmeterio ſtatua mulieris, jacentis ut fluminum Nymphæ fingi ſolebant, ac ſine capite, ex marmore candidiſſimo. Sed longe pulcherrimus eſt urbis ipſius aſpectus, quique adeo, quæ ejus olim fuerit claritudo, manifeſto arguat, ſi quis ſecundo flumine eam accedat. Hic enim ut Moſella primum ſinuoſum amnem reflectit, urbem recta petiturus, adverſa ſeſe fronte effert ante ejus muros moles alta antiqui operis, in quam ut oculorum aciem intendimus, fornicem quondam fuiſſe, ſive arcum triumphalem, judicavimus, & in mentem venere Auſoniani verſus in Moſella:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

— Nec præmia in undis
Sola, ſed Auguſtæ veniens quod mœnibus urbis
Spectavit junctos, natique patriſque triumphos
Hoſtibus exactis Nicrum ſuper, & Lupodunum
Et fontem Latiis ignotum annalibus Hiſtri.

Loquitur autem de Valentiniano Aug. ejuſque filio Gratiano, quos aliquoties Germanos fudiſſe, & longius à Rheno ſubmoviſſe, ejuſque limitem, ut & Danubii, pacaſſe, legimus.

Et poſt hanc molem & altera, ruinoſa penitus, quæ num & fornix alter fuerit, ut omnia quadrent Auſonianis verbis, non valuimus dignoſcere. Oppidani, ſolita inſcitia, molem utramque turres veteres nominant. Vrbs vero ipſa ſitu eſt plano, latus ſiniſtrum claudit Moſella, portus crepidinem leniter adlambens; ad alteram ripam mons eſt præruptus, & unica omnino ad ejus pedem via; hanc urbi connectit pons lapideus, in quo fornicum amplitudinem, & fundamenta in primis lapidibus magnitudinis inuſitatæ aggeſta mirabamur, ſiquidem ea propter fluminis humilitatem, qualem ſe multis retro annis nec vidiſſe meminerant, alte ſpectabantur; & Romanorum quidem

quidem id opus judicabamus. Ad arcuum commiſſuras columnæ ſunt ſemiquadratæ ex ſingulis lapidibus altero alteri ſuprapoſito, quæ paullum exſtant ſupra pontis marginem: in his Deorum olim fuiſſe ſimulacra referebant. Pontis hoc loco ſupra Moſellam mentionem facit Cornelius Tacitus lib. IV. ab exceſſu Neronis, qui ulteriora Coloniæ annecteret. Spectat hoc latus urbis quod ad Moſellam, occidentem fere Solem, aut Corum ventum. ad dextram, collem habet ſenſim acclivem, totumque vitibus conſitum, cujus & partem mœnibus olim incluſam fuiſſe indicant Auſonii verſus, hunc eundem ſitum delineantes:

Lata per extentum procurrunt mœnia collem;
Largus tranquillo prælabitur amne Moſella.

Reſtant adhuc in eodemque colle ædificiorum rudera, & ſubterranei meatus, opere latericio incruſtati, & pagus ibidem *Levi* dictus; eodem hodieque jure utitur, quo Trevirenſes cives. Profluit hinc rivulus, qui urbem perluit, quem ſua lingua *Levibach*, Latine *Oleniam* nominant. Et hæc quidem ad latera, quibus ad Orientem, & Occaſum, ut diximus, vergit; quadrata eſt enim fere hoc tempore, niſi quod ſecundum Moſellæ ripam paulo ſit extenſior, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

tota quidem muro non contemnendo cingitur. Qua vero ad Auſtrum ſpectat, moles eſt illa antiqua, de qua mox diximus; & paullo altius D. Mathiæ cœnobium, & ſacella aliquot. Ad Aquilonem, ultra murum, porta eſt altera, quam campeſtrem vel ſua lingua *Feldtporte* vocant, ad quam urbis mœnia ante Hunnicam depopulationem pertinuiſſe aſſerunt. Intra hanc portam, & ipſa quæ urbem nunc ambiunt mœnia, cœnobia ſunt D. Paulini, & D. Maximini, magnæ molis utrumque, ſed Maximini nobile in primis, & opulentum, quodque fundationem ſuam refert ad Imp. Conſtantinum Max. ejuſque matrem Fl. Helenam Conſtantii Aug. Sed nunc incendio deformatum eſt, nec patiuntur Treviri, ut inſtauretur, cum tam prope muros ſit, ne tempore belli receptaculum hoſti præbeat. Ex murorum certe, columnarumque fragmentis judicare eſt, quam ſplendidum olim fuerit. dicitur ipſam Archiepiſcopalem ſedem opulentia quondam æquaviſſe. D. Paulini ædes adhuc eſt integra, & in ea hinc inde multæ reſtant inſcriptiones antiquæ, aut mediæ ætatis.

Diaconus hujus ædis referebat, hunc locum Campum Martium olim dictum fuiſſe, quo etiam nomine in hiſtoriis paſſim occurrere. proximum item collem vitiferum

Martis

Martis ejuſdem, ut alterum huic oppoſitum Apollinis, nominibus inſignitos, quorum & reſtarent in vulgari appellatione veſtigia. Hanc vero ædem Divæ primum Genitrici dicatam fuiſſe, poſtea Divo Paulino, tranſlata Divæ Virginis ſede ad Moſellæ ripam, ubi & adhuc eſt in hoc eodem pomœrio. In ipſa jam urbe ſunt & templa multa, & admodum inſignia, mediam tamen ætatem referentia, ut ea quæ Coloniæ Agrippinenſium, & Aquiſgrani. tale eſt & ipſum ſummum templum, quod vernaculo ſono *Dom*, quaſi à domo vel à Domino appellant, Divo Petro Apoſtolo, civitatis patrono, conſecratum. Niſi cui fortaſſe Divi Simeonis ædes videatur antiquior, & Romana quodammodo tempora referre. Collis jugum occupat, qui unicus eſt in hac urbe, forma quadrilatera, oblonga, tota ex lapidibus ſubcinericei coloris, & quidem magnitudinis ita ſtupendæ, ut vix credatur, hominum manibus potuiſſe eo advolvi, uſque eo ut apud imperitum vulgus fabella locum invenerit, Cacodæmonis uſum auxilio, qui eam ædificavit, cui quidem perſuaſiſſet ſe lupanar & aleatorum menſas ponere, ſic, inquiunt, aras vocabat, & pro argumento oſtendunt aras, quarum ſuperficies non recta ut reliquárum ſed deorſum ſpectat, & appenſum muro cornu quoddam, ut

 videtur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

videtur, quod vocant *Cacodæmonis unguem*; eum ſcilicet, ubi ſe circumventum ſenſit, impetu in aras facto, unguem confregiſſe. atque ejuſmodi fere narratiunculæ proferuntur, quotieſcunque opus aliquod humanum videtur captum excedere. Tres habet hæc ædes concamerationes, ſibi invicem ſuprapoſitas, in quarum ſingulis ſacra facit diverſi ordinis clerus. Facies exterior externo eſt feneſtrarum ordine, inter columnellas ſemirotundas; ex eodem omnia lapide, præterquam ad chori (ut nunc loquuntur) ambitum, ubi & columnellæ ſunt marmoreæ. Moles eſt admiranda, cui in tota hac Gallia noſtra nec parem aliam ſupereſſe exiſtimamus. atque unicum fortaſſe ædificium hoc fuit, quod operis eximia ſoliditas, à tot cladibus, quibus hæc urbs ab exteris nationibus, Hunnis, Francis, Normannis vaſtata eſt, vindicavit, cum reliqua in favillas abiiſſe videamus, nec ex *antiqua illa Treveri*, Principum domicilio, quidquam reſtare, præter columnarum & marmorum fragmina, hinc inde diſperſa, & rudera ſub terras, quæ ſubinde veteris ejus ſplendoris admonent. Ex *Theatro*, cujus ſcriptores ſæpius meminerunt, reliquum eſſe videtur fragmentum illud operis latericiii, cæmento ſuperinductum, feneſtris grandioribus plenum, eo loco, ubi nunc
domus

domus eſt Archiepiſcopalis, quod oppidani ex Conſtantini Max. Aug. volunt eſſe palatio. Exſtant ejuſdem prorſus operis aliæ ruinæ ad portam quandam, de quibus ipſi varia referunt, quorum fides apud eos ſit: ut & eorum quæ de Trebeta ſuo conditore, Nini Aſſyriorum regis filio, huc profugo, circunferunt, & de Idolörum templo, ac Mercurii ferrea imagine. De qua tamen placet hic verba ex eorum Annalibus manuſcriptis deſumta referre; quæ rem ita aſſeverant, ut nihil ad faciendam fidem requiri ultra poſſe videatur. Sic enim poſtquam de templo ipſo fecit mentionem, quiſquis eorum auctor fuerit: *Hujus in veſtibulo* (inquit) *ex lapide quadro inſignis arcus exſurgens habet ferream Mercurii imaginem, (dictu mirabile) in aëre pendentem: ſeorſum autem Iovẽ marmoreum, ſcutellam auream manibus tenentem, cui tus immiſſũ redolebat in naribus circunſtantium, tanquam ſi igni immitteret, nec tamen urebatur.* Quod ne forte noſtris dictum verbis, tanquam à nobis confictum credere quis detrectet, non nos, ſed potius audiat Galbam Viatorem, Licinio Sophiſtæ, hocipſum inter cetera rerum ſtupendarum quas viderat & audierat, his verbis conteſtantem. Sic enim ait: *Audi præterea quod mireris: Treveris eſt civitas Galliæ nobilis, ubi Senecio quidam, cujus hoſpitio uſus ſum*
per

per duodecim dies, in ſuburbio civitatis, ferream effigiem Mercurii volantis, magni ponderis, oſtendit in aëre pendentem. Erat autem magnes, ut hoſpes idem mihi oſtendit, ſupra in fornice, itemque in pavimento, quorum naturalis vis è regione ſibi ferrum aſcivit, ſicque ferrum ingens, quaſi dubitans in aëre remanſit. Vidi etiam in eadem urbe, ingentem è pretioſo marmore Iovem, ſcutellam auream duorum pedum latitudinis tenentem, ubi hoc inerat ſcriptum:

IOVI VINDICI TREBERORVM
EX CASV QVINQVE CIVITATVM RHENI PER
TRIA DECENNIA DENEGATO SED FVLMINE
ET CÆLESTI TERRORE EXTORTO
FACTVM ARTE MECHANICA.

Nam tus quaſi prunis impoſitum redolet ſi immiſeris, nec tamen deficit, quod ita probavi eſſe. Hæc ille. Sed antequam reliqua exſequamur, non alienum erit, ex politioribus quoque Hiſtoriis de Treviris aliquid repetere. Idem C. Cæſar, de quo jam ſæpius, *Trevirorum gentem omnium Belgarum potentiſſimam juxta & bellicoſiſſimam facit ac propter vicinitatem Germaniæ quotidianis exercitatam bellis, quæ equitatu valeret plurimum, & copias quoq; haberet pedeſtres.* quare reliqua pene Gallia pacata ipſi nec imperata faciebant, nec ad concilium veniebant, niſi armis coacti, & novis ſubinde ſtudebant rebus,

rebus, cum magnas haberent clientelas Eburonum, & Condruſonum, & latiſſimos fines. Siquidem ad Rhenum ab una parte pertingebant, ab altera ad Nervios uſque Menapios, & Mediomatricos. Eorum vero oppidum nullum nominat: Tacitus *Coloniam Trevirorum* appellat hanc ipſam urbem, de qua nunc loquimur: eandem Mela, Ptolemæus, & Auſonius poſtea, *Auguſtam Trevirorum*; hic vero & Treverim nominavit: & ejuſdem ſubinde meminerunt ſubſequentis ætatis Hiſtoriæ, *Metropolim eam Belgicæ primæ* facientes, in qua præſideret vir conſularis, qualis erat & ille Ælius Conſtantius, cujus epitaphium ſupra poſuimus, quod inepte nonnulli, ad D. Conſtantium Aug. Conſtantini Max. patrem referunt. In hac urbe *Fabrica* olim erat *Scutaria, & Baliſtaria.* Meminit & libellus dignitatum, & adminiſtrationum, qui ſub poſterioribus Impp. confectus videtur, *Procuratoris monetæ Trevirorum, & Procuratoris Gynæcei Belgicæ primæ*, item *Præpoſiti Argentariorum.* & de moneta quidem fidem faciunt creberrimæ in poſteriorum Impp. nummis argenteis & æreis notulæ PTR. PTRE. T. TR. TRS. TRPS. quæ *pecuniam Treviris ſignatam* innuunt, eadem ratione qua & P. LVG. *pecuniam Lugdunenſem* & AQPS. *Aquileii pecuniam ſignatam*, reliquaſque in ejuſmodi

nummis

nummis notulas commode poſſis interpretari. hinc & in lapidibus III. *virorum monetæ Trivericæ* mentio. Manifeſta ſane indicia, quantum hæc civitas belli olim ſtudiis floruerit, ipſi quodammodo Romæ orbis dominæ cis Alpes ſecunda, cum qua & ſuam paſſa eſt ab exteris nationibus viciſſitudinem, cui obnoxia ſunt in hac rerum univerſitate omnia; ita tamen ut nec veteres animos depoſuerit, nec facile de ſua libertate quidquam delibari patiatur. Quod & nuper admodum expertus eſt eorum Epiſcopus, cui cum longa fuiſſet cum civibus de civitatis jure controverſia, res tandem ad arma devenit, & caſtra ante urbem in adverſo ad Moſellam monte poſuit. Illi ſe acriter defendere: ſed principum interventu, cauſam ad ſummum Imperii Romani Senatum detulerunt. Hinc ſecundo Moſellæ flumine navigantibus ad medium fere M. oppidulum eſt, & arx vulgo *Pfaltz*, quaſi *Palatium* dicas, in ſiniſtra ripa. in dextra II. circiter M. pagus *Reol*, loco alto ad lapidis jactum à ripa, montibus fere circumcinctus, in quo arcem non ita multis abhinc annis ædificatam, *Rigelburg* nominarunt. veteris nominis memoriam hac appellatione utcunque renovantes: veteribus ſiquidem *Rigodulum* erat, & oppidum ubi Cerialis tempore Veſpaſiani Imperatoris (ut eſt apud Corn.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Corn. Tac.) Valent. Trevir. fudit. Oppidum expreſſe vocat Ammian. Marc. Sed cum in ejus deſcriptione ac ſitu videantur hi ſcriptores nonnihil variare, non extra propoſitum forte ſit, utriuſq; verba expendere. Tac. l. IV. ab exceſſu Neronis hæc ſunt: *Eo rapidius Cerialis miſſis in Mediomatricos, qui breviori itinere legiones in hoſtem verterent, contracto quod erat militum Maguntiaci, quantumque ſecum tranſvexerat, tertiis caſtris Rigodulum venit, quem locum magna Trevirorum manu Valentinus inſederat, montibus aut Moſella amne ſeptum, & addiderat foſſas, obiceſque ſaxorum.* Marcellinus autem lib. XVI. *Nullo itaque poſthac repugnante ad recuperandam ire placuit Agrippinam, ante Cæſaris in Gallias adventum exciſam, per quos tractus, nec civitas ulla viſitur, nec caſtellum, niſi quod apud Confluentes, locum ita cognominatum, ubi amnis Moſella confunditur Rheno, Rigodulum oppidum eſt, & una prope ipſam Coloniam turris.* Quibus Marcellini verbis permoti nonnulli exiſtimarunt, *Rigodulum* eandem fuiſſe, quæ nunc *Confluentia*; cum diſerte locum notet, ubi Moſella & Rhenus aquas jungunt. In quo tamen nec ſibi ipſi ſatis convenire videtur, & à Tacito diverſum ſentire. Nam ſi Rigodulum eo ſitu erat, quo nunc Confluentia, cum locum dicit montibus aut

Mo-

Moſella ſeptum, nullo modo tacuiſſet, Rheno quoque muniri, nec potuiſſet Cerialis, (quod idem habet Tacitus) fuſo hoſti Rigoduli, poſtero mox die Coloniam Trevirorum ingredi. Quantum ad Marcellinum: Julianus Imperator, de quo ſcribit, Germanos tunc circa Borbetomagum deleverat, unde recta Coloniam Agrippinenſium properabat, quo tractu nullam neque urbem eſſe, neque caſtellum dicit: unde colligere eſt, eum non ſecundum Rheni ripam iter feciſſe, ad quam caſtella plurima erant, à Druſo Germanico exſtructa, & oppida, Bonna & Antennacum, ab eodem Ammiano ſæpius nominata; ſed altius à Confluentibus Moſellam tranſiſſe, ut nec Borbetomago Coloniam petentibus, per Confluentes, aut ſecundum Rheni ripam recta eſt iter. Huc accedit quod hujus pagi, de quo loquimur, ſitus, tum loci natura, cum Taciti deſcriptione belle conveniat, atque vel eo ſuam prodat antiquitatem, quod à ripa aliquo diſtet ſpatio, ad quam ſunt reliqui recentioris ætatis fere omnes. Dominus ejuſdem loci opinionem hanc noſtram confirmavit: dicens, idem *Rigoduli* vocabulum expreſſe legi in ipſo Regis Dagoberti authentico, quo hunc locum, cum aliis eidem vicinis, eccleſiæ donat S. Maximini; & repertam aliquando ſub terra viam lapidibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

dibus grandioribus ſtratam, quæ verſus Moſellam excurreret. ita ut poſthac de Rigoduli ſitu, aut nomine non videatur ambigendum: vel ſi quis anxie adhuc Marcellini verba urgeat, diverſa ejuſdem nominis loca fuiſſe, ſit ſtatuendum. Hinc *Moſella* per magnos anfractus, ita ut ad eundem fere locum aliquoties revertatur, unico interveniente inter utrumque fluentem monte, leni omnino agmine labitur, inter montes, ab radice ad ſummitatem uſque vitibus veſtitos; ſunt enim non ita prærupti, quin facilis ſit colonis aſcenſus ad ſupportanda quæ ad vineta requiruntur; nec ita alti, ut alter alteri ſolem præripiat; adjuvantibus ad hanc rem ipſis anfractibus, per quos Solis radii viam reperientes, grata viciſſitudine montes ad utramque ripam ſtatis temporibus illuſtrant. Sunt vero in altioribus montium jugis & pineta, & aptus ſementi locus. Ad ipſam etiam ripam, (ne quid hac in parte deſideretur) inter fluminis alveum, & vineta, ſicubi colles longius recedunt, prata ſunt ſpectatiſſime virentia, ubi videre eſt armenta paſcentia, quibus & adveniente æſtu facilis eſt ad aquam deſcenſus, juvatque tota proſpectare armenta in ipſo flumine ad pectus uſque frigus captantia. Quin & uſque eo humanis natura rebus circa hoc flumen conſuluit, ut multis in locis, ubi altera

tera

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

tera ripa montem habet aut collem paullo arduum, altera omnino ſit acclivis, qua demum ratione vinetis integer eſt ſuus ſol, & ad paſtionem locus relinquitur commodiſſimus. Jam ſi qua planities à flumine paullo eſt altior, frumento ſerendo deligitur, provenitque in ea magna admodum copia.

NEVMAGVM

pagus vulgo *Neumagen*, vetus adhuc nomen retinet, quod eſt apud Anſonium in Moſella:

Neumagum Divi caſtra inclyta Conſtantini,
Purior hic campis aër, Phœbuſque ſereno
Lumine purpureum reſerat jam ſudus Olympum.

Sed hic repetendi ſunt & hi Auſonii ejuſdem in eodemque Moſella verſus:

Addam præſidiis dubiarum condita rerũ,
Sed modo ſecuris, non caſtra, ſed horrea, Belgis.

Nam & hoc loco *nihil præter horrea* nunc videas. Sunt & alia hoc tractu oppida non contemnenda. *Bergcaſtel* à dextris, ac paullo inferius *Drabach*, ubi vina laudatiſſima, ac nigri effodiuntur lapides, fiſſiles, ad domorum tecta; & *Enkirch* pagus, cujus agrum ad vini dolia M M M, eorum quæ ſua lingua *Fuder* vocant, annuatim reddere aſſerebant. Hinc *Kocheim* oppidum ad alteram ripam, ac paullo inferius, in eodemque latere, oppidum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

pidum aliud, *Karll* vulgo nominatum, à quo ripæ paullatim fiunt humiliores, & ab utraque parte longius recedunt, ita ut ad Confluentes latitudine ſit Rheno fere pari. Vrbium quæ ad Moſellam, poſtrema eſt

CONFLVENTIA,

ad ipſum fluminis marginem ſita, ubi Rheno miſcetur, & fruitur utriuſque amnis longe maxima amœnitate juxta & commoditate, unde & eo in primis nomine delectatur. Dono acceſſiſſe volunt Eccleſiæ Trevirenſi ſub Medoaldo Archiepiſcopo, cujus mentionem facit inſcriptio illa, quam ſupra in Treviris poſuimus. unde & liquet, tempore hunc Dagoberti regis vixiſſe, qui annus erat ab inſtaurata ſalute circiter DCXXXI. Aſſerebant etiam, Diploma ipſum, *Cortem Confluentinam* appellare, & donari una cum circumjacente agro, & ſilvis. *Cortis* vero nomine accipi, quidquid muro veteri, qui hodieque exſtat, includitur, intra quem forum rerum venalium, & primarium templum. eundemque Medoaldum nova mœnia quo nunc ſunt ambitu urbi circundediſſe. *Pontem ſupra Moſellam*, operis lapidei, præcipuum ejus ornamentum, ædificavit Baldus, vel, ut apud alios eſt, Balduinus Archiepiſcopus, ann. MCCCXLIV. Idem *Carthuſianorum monaſterium* in ſummo monte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

te exſtruxit in hujus pomœrio. Impendet in adverſa Rheni ripa *arx* munitiſſima, quæ veteri nomine *Erenbreitſtein*, recentiore *Hermanſtein* ab Hermanno archiepiſcopo, qui eam ampliarit, appellata. In proxima rupe arx erat *Helfenſtein*, antiqui & clari nominis, cujus tantum ſuperſunt ruinæ, potentioris ſcilicet vicinitate ſenſim diffluentes, ac vix ſuum nomen tuentur.

Inſtabat jam Nundinarum tempus, quæ Francfordiæ, quæ ad Mœnum fluvium eſt, magno totius Germaniæ conventu frequentantur, quo etiam properandum videbatur, adverſo Rheni flumine, qui tractus, ut omnium eſt celeberrimus, fuitque ſemper, quantamcunque vetuſtatem ferant ſingularum nationum hiſtoriæ, ita eum leviter attingere, aut ex parte deſcribere indecens judicavimus, at potius finem aliquando huic narrationi imponere. Hæc ſi tibi, Mercator, aliqua ex parte probabuntur, operæ pretium erit nos effeciſſe quod volebamus. ſin minus, morem tamen geſſiſſe, non mediocriter juvabit. Vale. Antverpiæ. Nonis Octobr. ann. MDLXXV..

GEOR-

GEORGII LOYSII C. V.

PERVIGILIVM MERCURII,

In quo agitur

DE

PRÆSTANTISSIMIS PEREGRINANTIS VIRTVTIBVS

ET

Qua ratione unuſquiſque citra majorem difficultatem exteras peragrare provincias, regiones adire exoticas, & cum cujuſvis conditionis hominibus, benè & honeſtè converſari poteſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

PEREGRINANTEM SALVERE JUBEO.

AUguſtiſſimum *in famæ publicæ campum noviter reduco* Mercurium , *diu qui fidis in ſilentii caſtris militavit. Invitus reduco & volens.*

Invitus; ob invidiam & intemperiem invidorum, qui emiſsitiis ſuis oculis, facta aliorum & dicta, licet rectiſsima, frivole notant, carpunt. De Te tuiſque commemoras? quod dente theonino rodant, facile invenient, ut vanum; ut jactabundum: De aliis rebus Politicis? hic quoque quod clanculum mordeant. Et nulla tam modeſta felicitas erit, teſte quæ Val. Maximo, dentes malignitatis vitare poſsit.

Volentum me fecerunt, Auguſtiſsimæ Cameræ Imperialis Spirenſis (quæ certum

tum oppreſſorum refugium, indubitata pauperum anchora, divæ officina juſtitiæ) Aſſeſſores Magnifici, Nobiliſsimi, Conſultiſsimi.

Multi me valde amanter ad laudandum & amandum provocarunt. Quæ enim tam prona iſtorum eſt humanitas? Vltrò appetendum mihi quod erat, ultrò mihi obtulerunt favorem & amorem, quibus, peream, ſi quid mihi jucundius contingere potuiſſet à tantis & tam magnis viris.

Tres ex illis, cumprimis mihi & chari & rari, quorum eruditio cum nobilitate, nobilitas cum humanitate, virtus verò cum omnibus his certatura videtur, Hadrianus Bork: Joann. Conrad à Vhorburg & Joann. Jacob à Heydeck, *nomina poſuiſſe ſufficiat. Scio Ego, illos me ſeriò amare; ſcio me illos ſeriò venerari.*

Volentem inſuper me fecerunt, lumina Vniverſitatum, vel aliarum Muſarum Sedium Germaniæ, imo totius Europæ longè ſplendidiſsima, veluti Jenenſium, Wite-

Witebergenſium, Ingolſtadienſium, Altorpienſium, Colonienſium, Lugdunenſium, Argentinenſium, *quibus in Academiis cunctis togata in militia, pugnando me exercuiſſe, quid eſt,* quod *ſupprimam. Dimicavi fateor pro ſapientia, pro politica prudentia, & ſub illis. Et utinam perfectè adſecutus eſſem, quod ſecutus cum labore, ſumptu, ſtudio!*

Hoc pro indubitato pronuncio; multorum, prædictis in locis amorem & præſtantiſsimorum amicitiam mihi obtigiſſe. Quo me merito? ignoro. Attamen illi ipſi, in quibus notæ melioris lucis me laudant, mea extollunt. Morem amorem interpretor ego hunc & laudes quas adfectus forſan illis magis quam judicium ſuggerit.

Volui equidem quædam in publicum; ſed juvenis adhuc nec ætate nec judicio firmus. Benignè ſemper agi mecum ratus ſum, ſi meis primitiis juſta tribueretur à Clariſsimis viris venia; nedum ut cumulus ille laudum.

Quic-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Quicquid verò ſit, gratiſſimum mihi eſt, quod gratiæ ſaltem locum parit apud tales & tam incomparabiles viros, quos veluti ſidera hujus ævi habeo, & à quibus lucem conciliare me poſſe ſcio, obſcuræ adhuc ſed honeſtiſſimæ famæ.

Hæ Imperii Romani columnæ, hæc reipub. literariæ fulcra robuſtiſſima, me moverunt, commoverunt, imo pro gravitate, auctoritate qua pollent, ad novæ editionis publicationem adegerunt.

Horum igitur auctoritate potius quam voluntate mea Mercurius *ecce, nov-antiquus prodit. Prodit non priſco illo habitu, uti ante triennium, ſed novo planè venuſtiori, politiori.*

Tibi vero, Peregrinans *candide, ſe ille promptè offert, tibi grata facere, uni inſervire.*

Te ſive Italiam *vel* Galliam *adfectantem; ſive* Angliam *vel* Hiſpaniam *trajicentem, ſive quamcunque nobiliorem orbis provinciam petentem, ſequi comitarique geſtit.*

Recipito itaque Mercurium *& cum illo*

illo Loyſium *unà. Bonus ſies* Peregrinans, *pius ſi es: fave, ama faventem, amantem.*

Fundebam Spiræ, *ſummum ubi imperii judicium, die* Laurentii. Anno cIↄ. Iↄc.

K TABV-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

TABVLA.

Ex Itinerario Italico F. S. hæc in peregrinatione obſervanda.

- I. *Regio, in qua conſideranda nomina*
  - *Vetera.*
  - *Recentia.*
- II. *Ditio hominum*
  - *Superiorum.*
  - *Noſtrorum.*
- III *Nomen urbis & nominis ratio ſi extet: Conditor, Amplificator, Inſtaurator.*
- IV
  - 1. *Flumina eaque aut*
    - *Allabentia.*
    - *Propè diſtantia,*
    - *Deducta.*
  - 2. *Mare alluens aut portus.*
  - 3. *Montes.*
  - 4. *Sylvæ, nemora & alia.*
- V. *Opera, & hæc vel*
  - *Publica*
    - *Sacra*
      - *Baſilica.*
      - *Monaſteria.*
      - *Templa.*
    - *Prophana*
      - *Palatia.*
      - *Arces.*
      - *Fora.*
      - *Armamentaria.*
      - *Propugnacula.*
      - *Tur. & mun. rat.*
  - *Privata*
    - *ut quæ in civium ædibus ſunt inſignia.*
    - *Horti.*
    - *Pictura.*
    - *Fontes.*
    - *Statuæ.*
- VI. *Ratio gubernationis, ad quam pertinent*
  - 1 *Curia, in qua Senatores & familiæ civium honeſtæ.*
  - 2 *Schola, ut ratio educationis & inſtitutionis pueritiæ, item viri docti, & bibliothecæ.*
  - 3 *Mores vulgi; quo pertinent, ratio victus & veſtitus, item opificia & alia.*

GEORGII LOYSII

C. V.

DE PEREGRINATIONE

OBSERVATIO I.

PRÆPOTENTI ET ſummo rerum omnium architecto, tùm ad demonſtrandam ſapientiam ſuam admirabilem; tùm ad conjungendas hominum ſocietates placuit nullum locum adeò fertilem; nullam provinciam adeò frugiferam; nullam denique regionem adeò felicem eſſe, quæ non indigeret auxilio alterius.

Etenim, ut Poëta ait:

Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ:
India mittit ebur; molles ſua thura Sabæi.

II. Hinc factum eſſe exiſtimo, ut quoniam terra nulla tam felix, quæ præſtantiſſima ingenia omnia includat, quæ gremio ſuo omnes prudentiæ & eruditionis ſtirpes contineat; ut eminentiſſimi viri, qui flagrabant arte Reipublicæ recte informandæ, itiones frequentes ſuſceperint ad ea loca, ubi

 ſplendi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

ſplendidiſſima illa lumina ſapientiæ & morum fulgebant, petentes ea, quibus deſtituebatur patria.

Has ITIONES Scriptores non inſcitè peregrinationes nuncuparunt.

III. Eſt autem peregrinatio nihil aliud quam *ſtudium perluſtrandi terras exoticas, & inſulas, ab homine idoneo ſuſcipiendum, ad artem vel ea acquirenda, quæ uſui & emolumento patriæ vel Rei eſſe publicæ poſſunt.* Talem peregrinarum regionum perluſtratorem & diligentem earum rerum obſervatorem, qui ſuam peregrinationem non temeritate, ſed utilitate motus inſtituit, Peregrinantem appellare licebit.

IV. Omnis autem peregrinans circunſtantias cunctas expendere, ſuaſque vires explorare debet, nec illas peregrinationes, quibus ſe putat imparem, affectare. Scitè enim I. C. Gajus: non videtur iniquum, ſi infirmitas culpæ adnumeretur, cum affectare quiſque non debeat, in quo vel intelligit vel intelligere debet infirmitatem ſuam alii periculoſam futuram. Ergo

Certo modulo te & tua metire probando.

Ne ſcande locos, è quibus indeſit ruendum.

V. Præceptum utiliſſimum, quod princeps Philoſophorum Plato dat iis, qui ad rerum publicarum ſedere gubernacula deſiderant, ut ſtatim à teneris unguiculis ad bono-

bonorum ſeſe imitationem aſſuefaciant: idem tenendum eſſe illi, qui peregrinari animum induxit, puto ut mentem, ſtudium, actiones, quoad fieri poteſt, juxta exemplum Ulyſſis (de quo in fabulis Homerus) formet, dirigat.

VI. Cum autem omnis actio fieri debeat propter certum finem, ideoque peregrinans finem ſibi eligat bonum, honeſtum, ad quem tanquam ad ſcopum certum collimans, omnes ſuas inſtituat actiones. In eligendo eo utatur conſilio amicorum, præceptorum, parentum, & quicquid conſilio proſpici poteſt, proſpiciat. Melius enim ea curantur, quæ conſilio geruntur, quam quæ ſine conſilio adminiſtrantur.

VII. Fine hoc conſtituto, Peregrinans jam jam à parentibus diſceſſurus, felicem ſibi itineris ſucceſſum à Deo ter Opt. ter Max. exoptet, & ſe ſuaque omnia, veluti rerum omnium propugnatori fortiſſimo, diligenter committat, eumque ex intimis cordium penetralibus roget, ut velit peregrinationem rei publicæ utilitatiſque cauſa ſuſceptam, & fortunare, & ad nominis ſui potentiſſimi gloriam, patriæ verò amplificationem & honorem, bonitate ſua divina dirigere; & nullo non die clamare ſeriò debet:

Tu rege conſiliis actus, Pater optime, noſtros,
Noſtrum opus ut laudi ſerviat omne tuæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Et ob id

Crede Deo te, remque tuam: & ſpe falle dolorem,
Eventus pia fata dabunt, prece victa, ſecundos.

VIII. Patria ita egreſſus iterque ingreſſus, Peregrinantem decet in unaquaque urbe vel Academia celebri inquirere & indagare de doctis viris & Profeſſoribus. Si itaque tales, qui poſſunt ſtudiis vel peregrinationi prodeſſe, hos adeat, audiat, conſulat & è ſacris iſtis pectoribus ore hianti bibat veræ peregrinationis & additæ doctrinæ fontes. Quis enim non à SCALIGERO aliquo abeat doctior? prudentior à DOUSA? conſultior à GIPHANIO? acutior ab VTENHOVIO? gravior à WESENBECIO? melior à TOELMANO? humanior à MERVLA? diſertior à REUSNERO? politior à FRANTZIO? quorum non auditum modò, ſed & viſum magno emi.

IX. Mutos Dd. diligenter legat, eos cum primis, qui de peregrinatione ſcripſerunt, quales ſunt: Zvvingerus, Birckmajerus, Gratorolius & alii. Nec abs re erit, inſpexiſſe libros monumentorum Italiæ à Schradero editos, ut & ſingulares obſervationes rerum memorabilium in Græcia, Aſia, Ægypto, Arabia &c. Pet. Belloni è Gallicis in Romanam linguam tranſlatas à

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Viro Clariſſimo mihique amiciſſimo CAROLO CLUSIO.

X. Rerum malarum ſit tolerans, iter enim ingreſſus, ſibi ne fingat copiæ quaſi cornu. Non enim in peregrinationibus domeſticæ ciborum lautitiæ, non vini præſtantiſſimi ubertas, non Sybaritica convivia, non deliciæ lectorum Perſicæ, non foci contra brumam: quin contra frigora, ſitis, fames aliaque cogitanda.

XI. Præclarè ad hæc Vir Illuſtriſſimus SCALIGER:

Præſenti animo compoſitus perfer & inſta,
Aſſueſce malis, quo domites neceſſitates:
Non te mala lædent: niſi te ea lædere dicas,
Adverſa acuunt magnanimum, proſpera mollem:
Labor ipſe laborem abdicat, & dolor dolorem.
Te te capere, effundere te, patique diſce.
Te cogere, laxare, repaſtinare ſic te
Cogens, neque cogis neque cogeris coactus.

XII. Fortem itaque Peregrinantem, nec tempus immutat, nec rumpit neceſſitas, nec inſolentia exulcerat, nec nequitia hominum improborum labefactat, ſed cum Socrate ſapientiſſimo ſemper idem manet.

XIII. Cum autem munimentum inexpugnabile humanæ imbecillitatis ſit fortitudo, quæ propriè contemtrix timendo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

rum; ideoque animum adverſus ea, quæ poſſunt evenire, Peregrinator formet, firmet, nec reformidet exilia, tormenta, morbos, naufragia. Neceſſe enim eſt qui ſit fortis, eundem eſſe magni animi: qui magni animi, invictum: qui invictus, eum acerba hæc peregrinationis deſpicere & infra ſe poſita arbitrari. Etenim

Fortiſſimus ille eſt
Qui promptus metuenda pati, ſi comminus inſtent,
Et differre poteſt.

Hinc recte Horatius:

Vivite fortes
Fortiaque adverſis opponite pectora rebus.

Et Plautus:

Hem iſta virtus eſt, quando uſui eſt, qui malum fert fortiter, fortiter malum qui patitur, idem poſt potitur bono.

XIV. Jucundarum rerum ſit temperans, quoad alimenta & venerea. Temperantia enim exigit cum primis peregrinatio ſobria. *Hæc enim facit abſtinentem, ſobrium, moderatum, pudicum, tacitum, verecundum, libidines frænat, affectus temperat, deſideria laudabilia multiplicat, vitioſa caſtigat, omnia intra nos confuſa ordinat: cogitationes pravas removet, ignem libidinoſæ voluptatis extinguit, mentem tranquillitate placida componit, & tutum ab omni ſemper* tem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

tempeſtate vitiorum defendit.

XV. Hac in virtute nobili magnoperè commendatur à Politicis Xenocrates, qui legatus ab Athenienſibus amandatus, nihil voluit vel guſtare, vel libare, priuſquam legationem mandatam feliciter expoſuiſſet.

XVI. Luxus & luxuriæ ſit expers: ſiquidem ut Seneca ait Tragœd. 9:

Totum per orbem maximum eſt exortum
malum,
Luxuria peſtis blanda.

Et Tragœd. 4:

Vincit ſanctos dira libido.

Sævus criminum ſtimulus libido, quæ nunquam manere quietum patitur, & teſte Bernhardo:

Currus luxuriæ quadriga volvitur vitiorum: ingluvie videlicet ventris, libidine coitus, mollitie veſtium, otii ſaporiſque reſolutione. Trahitur equis æquè duobus, proſperitate vitæ, & rerum abundantia: & qui his præſident duo, ignaviæ torpor, & infida ſecuritas.

XVII. Vitabit hoc peſſimum vitium, ſi vitet otium. Naſcitur enim ex vacantia & otio. Ea propter Peregrinator aureum Ovidii præceptum ante oculos habeat:

Otia ſi tollas periêre Cupidinis arcus.

Et Horatius canit:

Deſine matronas ſectarier: unde laboris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Plus haurire eſt, quàm ex re decerpere fructus.

XVIII. Si itaque penitius conſiderare velit Peregrinator, quæ ſit in natura hominis excellentia & dignitas, facilè deprehendet, quàm ſit turpe, diffluere luxuria, & delicatè vivere: quàmque honeſtum, parcè, continenter & ſobriè, ut Marc. Tull. aiebat.

XIX. Nitatur peregrinans omnibus nervis eò, ut formet acta & dicta, ſecundum hominum ingenia, quibuſcum verſatur. De ſeipſo ſuiſque quàm parciſſimè loquatur. *Nihil enim eſt*, teſte Valerio Maximo, *quod magis minuat laudis præconium, quàm ſuos aſſiduè jactare ſucceſſus.* Deforme non modò eſt, de ſe ipſo prædicare; ſed & periculoſum, præſertim inter ignotos. Sequatur itaque Vlyſſen, qui non niſi ab Alcinoo invitatus, errores ſuos aperuit.

XX. Nec opes nec eruditionem ſuam extollat, nec proſapiam & ſplendorem. Stupidi enim illi, qui vel veſtitu vel comitatu, privatas opes oſtentando, improborum hominum injuriæ ſe veluti eſcam objiciunt. *Opes enim aliàs injuriarum ſuſpicioni obnoxiæ ſunt, quæ ſeditiones efficiunt & malignitates, teſte Philoſopho* 2. *Polit. Et Diogenes aiebat ideò aurum pallere; quia multos haberet inſidiatores. Vnde Pythagoras etiam, nec*

equus

equus ſine fræno; nec opes ſine ratione retineri diu poſſunt.

XXI. Peregrinans generis ſplendore & nobilitate coruſcans, nec invideat nec contemnat inferiorem, ob ſimiles in peregrinandi ſtudio conatus, ob nobilem famam, quam unuſquiſque Studioſorum, hac ratione ſibi conciliare nititur. Si nobilis es, & fortuna te ad honoris culmen evexit, alto ſupercilio alios inferioris conditionis Studioſos ne deſpicias, ſed illud conſideres:

Esto quod es: quod ſunt alii, ſine quemlibet eſſe:
Quod non es nolis: quod potes eſſe velis.

XXII. Veri qui nobiles ſunt, nunquam non perpendunt dictum Apuleii, qui ita dicit:

Si laudas aliquem, quia generoſus eſt, parentem ipſius laudas. Si vero quia dives, fortunæ hoc debetur. Si eum laudas, qui bonis moribus & artibus doctus ſit, & valde eruditus in togata vel armata ſcientia, quantum homini licet, tunc ipſum virum laudas, non aliena.

De quibus omnibus prolixè & ſcitè Quazzus lib. 2. de civili converſatione diſſerit, affirmans:

Nobilitatem ſcientiæ filiam eſſe: ſcientiam autem poſſeſſores nobilitare.

XXIII. Conſilia ſua Peregrinans celet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

ler, præterquàm eos, quos ſcire æquum eſt. Pittacus prudenter judicat:

Ὃ μέλλεις ποιεῖν μὴ προλέγε· ἀποτυχὼν γὰρ
καταγελασθήσῃ.

XXIV. Et hæc una quidem eſt de virtutibus peregrinationis, & non poſtrema: Quia cum Orator non aliter niſi orando probetur; Peregrinans non minus tacendo pro occaſione & tempore, quam loquendo peregrinatur. Nec enim temere quidvis apud quoſvis effutiendum. At nec familiaribus omnia proferenda ſunt, verum alia communicare convenit cum amicis, cum notis, cum ignotis; alia celare.

Huc quadrat illud Odyſſ. λ.

Ἀλλὰ τὸ μὲν φάσθαι, τὸ δέ γ᾽ αὖ
κεκρυμμένον εἶναι.

XXV. In rebus alienis cognoſcendis Peregrinanti nimia vitanda erit curioſitas, imprimis cum temeritate conjuncta. *Hæc namque ſecundum D. Bernhardum ſuperbiæ primus eſt gradus.*

Arceſilaus dicebat, nihil referre, utrum pedes an oculos inferamus in regiones alienas, videlicet deterrens ab omni curioſitate rerum ad nos nihil attinentium.

In rebus igitur ſupervacaneis noli ſcrutari multipliciter, quin potius Comicum audi, qui dicit:

Tua quod nihil refert, percontari deſinas.

XXVI. Lo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

XXVI. Loquor autem non de omni curioſitate, ſed de exceſſu. Non enim ignoro, quod Honorius & Theodoſius hac de re reſcripſerint, dum prohibent ſcrutari arcana regni peregrini; quin potius ſuadeo P. ut inquirat in omnia ea, quæ ad amplificationem reipublicæ ſpectant, veluti in mores, leges, religionem, & id genus alia.

XXVII. In aliena domo ſurdum eſſe & mutum oportet, multò magis in alienis regionibus. Obſervabit Peregrinator, non taxabit vel mores vel religionem. Singulæ enim nationes religione moventur peculiari, & Deos patrios, quos à majoribus acceperunt, colendos ſibi diligenter arbitrantur. Qui verò peregrinantium legem fraternitatis in religione quibuſvis communicanda urget, videtur is mihi ſanè hoc facere zelo pio, ſed nulla vocationis cujuſque ratione habita.

XXVIII. Fidat ipſe DEO ſoli, & ejus ſolius verbo certus reddatur: & ſicut ſolo DEI verbo certus redditur, ita nullius verbum quàm DEI recipiat. Nihil addat SS. Scripturæ, nihil temeritate ſua detrahat. Pietas enim incontaminata eſt; quæ uno ac ſolo Dei verbo nititur, atteſtantibus Matth. & Eſaia. Quicunque igitur in peregrinationis congregatione es, benè vive, *ordinabiliter,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

ter, ſociabiliter, & humiliter. Ordinabiliter tibi, ſociabiliter proximo, humiliter DEO.

XXIX. Caveat Per. in quantum poteſt, ne inter peregrinos ſecundum receptam opinionem hominum, cum Vitulinis de articulis fidei ſtatuat, zelum falſum prætendens.

Sæpe ſcelus cœlum zeli velamine texit,
Cui zelus cœlum eſt, non facit ille ſcelus.

Vidi diverſis in Academiis pericula maxima, & nonnunquam irrecuperabilia damna ex iſtis immaturis diſceptationibus, tum Studioſis, tum Clariſſimis Viris, contigiſſe.

Modus itaque optimus; quippe,

Obſervare modum laus eſt, nimiumque movendo
In dubium trahitur relligioſa fides.

XXX. Aurea huc referantur requiſita, quæ erunt leges certæ. P. nimirum ut habeat LINGUAM PARCAM, FRONTEM APERTAM, MENTEM CLAUSAM. Hæc Sophis placent; Hæc Viro Præſtantiſſimo JUSTO LIPSIO. Reipub. literariæ gubernatori ſtrenuo, arrident.

XXXI. Peregrinans, qui flagrat favore & benevolentia exoticorum, ante omnia ingenium civile, & urbanitatem præ ſe ferat, cauteque laboret, ut morum cognitio-

nem

nem hominum, quibuſcum verſatur, acquirat.

XXXII. Præterea obſequioſus eſſe debet. Hoc enim ipſo gratiam hominum colligit, & collectam retinet. Polite enim Tacitus judicat: *Quanto quiſque promptior obſequio, tanto citiùs honoribus & opibus extolletur.*

XXXIII. Humanus & officioſus ſit peregrinans moribus & alloquio, erga omnes eos, in quos honeſtè debet ac poteſt. Proinde Urſini verſus extollat:

Sis patiens, verax, comis, ſermone modeſtus,
Sint tua laudatis ſeria picta jocis.
Multum quippe placent admixtis dulcia acerbis;
Adde ſales gravibus tempore, gratus eris.
Scilicet extremum nemo laudabit utrumque
Seriùs aut nimiùm, ſive jocoſus eris.

XXXIV. Cum primis verò affabilis erit erga hoſpitem, hoſpitam, liberos ejuſdem, ſervos, famulas, nihil imperioſè vel moroſè ab his poſtulabit. Secus ſi fecerit, nec culinam, nec cubiculum ſua facere officia cum damno ſentiet.

Igitur:

Sic vive tibi, ſic alii, ut dicere poſſis,

Te

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Te pacem homini, te vitio indicere bellum.

XXXV. Per xenia & munuſcula multa offendicula amovere à ſe catus Peregrinans poteſt; quin contrà magnam benevolentiam ſibi conciliare apud hoſpitem. Hic igitur attendat Antonini Imperatoris reſcriptum:

Neque omnia, neque quovis tempore, neque omnibus.

XXXVI. Erga alienos ſit officioſus accommodatione morum, linguæ, veſtitus, cultus. Malus enim Peregrinator, cui non eſt ſatis id, quod cæteris ſatis eſt. Æqualitas hæc pacis & tranquillitatis eſt altrix, inæqualitas verò ſeditionis ſeminarium. In hoc Homerus Ulyſſem πολύτροπον vocat. Inſipientes itaque ii, qui morum inſolentia, licet paterna, illos, quibuſcum foris vivunt, vel ad irridendum, vel ad infeſtandum inflammant.

XXXVII. Erga conterraneos proprios ſit fidus & promtus. Qui enim in patria tibi civis erat, foris fratris loco complectendus eſt. *Vera autem fraternitas eſt, quæ fratrem & commilitonem diligentem veneratur, diſſolutum corrigit, qui præſenti obſequitur, abſentem non odit, ſano applaudit, infirmum non deſerit, placatum non provocat, iratum ut majorem metuit.* Et ut omnia inter

fratres

fratres ſunt communia; ſic quoque inter hos par erit amicitiæ benevolentia, juxta Eurip.

Inter amicos omnia ſunt communia:
Communis omnis eſt amicorum dolor.

XXXVIII. Modeſtiam liberalem Peregrinans præ ſe ferat, in ipſo motu, geſtu, inceſſu. Habitus enim mentis in ſtatu corporis cognoſcitur. Hinc homo cordis noſtri abſconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior: aut contra gravior, conſtantior, purior & matùrior à doctis viris æſtimatur.

XXXIX. P. itaque vivendi pulcritudinem & civilitatem decentem teneat; convenientiam cuique ſexui & perſonæ reddat. Hic ordo geſtorum optimus, hic ornatus ad omnes actiones commodus.

Hyppoliti hæc eſt ſententia:

Heu! heu! modeſtia quomodo ubique pulcrum quid;
Et gloriam bonam inter mortales adfert.

XL. Pudorem ſubruſticum abjiciat, tùm in factis, tùm in verbis. *ut enim pudor laudabilis eſt in malo, ita reprehenſibilis in bono. Erubeſcere enim malum ſapientia eſt; bonum erubeſcere, ſtultitia.*

XLI. *Hoc* (ut Thucydides graviſſimus autor voluit) *præ cæteris primarium habemus, ut deponamus pudorem, & audeamus ipſi maximè, & deliberemus de his, quæ aggreſſuri ſumus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

ſumus. Nam cæteris imperitia audaciam; conſultatio autem pigritiam adfert. Præſtantiſſimi verò jure omninò cenſeri debent, qui cùm dura & jocunda liquidò cognorint; tamen propter illa à periculis non declinant.

XLII. Contra verecundiæ togam aſſumat, quotieſcunque cum ſenioribus & prudentioribus congredi cupit. Hanc enim virtutem Ariſtoteles 4 Ethic. non communem, ſed propriam facit juvenum, dum inſit:

Verecundia non convenit omni ætati, ſed tantùm juvenili.

XLIII. Ecquid enim amabilius verecundo juvene? quam pulcra & ſplendida gemma morum eſt verecundia in vita & vultu juvenis, quàm vera & minimè dubia bonæ ſpei nuncia, index bonæ indolis, virga diſciplinæ, expugnatrix malorum, propugnatrix puritatis innatæ, famæ cuſtos, vitæ decus, virtutis ſedes, naturæ laus, & inſigne omnis honeſti.

XLIV. Si in gratiam Illuſtriſſimorum, in notitiam Nobiliſſimorum, in amicitiam Clariſſimorum Peregrinans jam irrepſit, omnem lapidem moveat, in ea ut maneat, ſubmiſſe ſe gerat, neque minima re illos lædere nitatur. Huc facit Macrobii iſtud:

Non poſſunt primi eſſe omnes omni tempore.

Sum-

Summum ad gradum claritatis cum veneris, conſiſtes ægre, & citiùs, quàm deſcendas, decides.

Cecidi ego, cadet qui ſequitur &c.

Nec mirum:

Lubrica namque via eſt: magni cecidère, cadentque,
Eſt mihi quique hodiè, cras tibi caſus erit.

XLV. Parcus ſit P. in ridendis aliis. Neque riſum petulantem amet; neque ſermonem cum audacia ſuſcipiat. Hoc enim ſtultum; illud furioſum judicat Iſocrates. Quippe riſus intempeſtivus inter mortales grave malum, quod ex Menandro apparet:

Γέλως ἄκαιρος ἐν βροτοῖς δεινὸν κακόν.

Iccircò:

Te reſpice, qui quoties objicis cuiquam,
Irriſio regerit eò ſe, unde ducit ortum.

XLVI. Dicteria & ſcommata aliorum, æquo & manſueto ferat animo. Manſuetudinis enim eſt proprium officium, poſſe criminationes, calumnias, & contemptus moderatè ferre; ac ad vindictam celeriter non contendere, minimeque ad iram præcipitem eſſe.

Itali appoſitè teſte Pynackero JC.

Chi vuol andar per paſſe, deve havere becca di porcello, orecchie d'aſinello.

XLVII. Plato ille Divinus (ut cum Philoſo-

Philoſophis loquar) cui ſibi maledicenti, *Perge*, inquit, *maledicere, ut qui benè loqui nunquam didiceris.*

Ariſtippus contumeliis à quodam petitus dixit: *Penes te eſt maledicere, penes me autem benè audire.*

Horum Philoſophorum veſtigiis Peregrinans inſiſtat, & omnia illa neceſſaria mala patienter ferat.

Ferendum enim, non culpandum, quod
mutari non poteſt.

—Nec enim fortuna quærenda
Sola tua eſt. Similes aliorum reſpice caſus:
Mitiùs iſta feres.

XLIX. Non tantum dictu ſpecioſum, ſed & obſervatu utiliſſimum eſt, magnum magni Scaligeri præceptum:

Contra Rhodanum ne ſtolidè natare tentes:
Contra Boream ne temerè flare ruentem:
Contra Pelagi ſtreperum clamare tumultum:
Contra enſiferum rabie certare tyrannum.

L. In converſando, cujus facta diſcrepant dictis, huic nunquam fidat Peregrinans. Quid enim loquatur, ſemper prudens, debet agere, ut dicit Seneca.

LI. Inimicos, præſertim potentiores, reconciliare nitatur, ne abſenti vel velint, vel poſſint nocere. *Nulla enim peſtis efficacior*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

cior (ut voluit Boëtius) *ad nocendum, quàm familiaris inimicus.* Cum eo itaque in gratiam redito, & ſecundum Iſocratem:

ἔχθραν διάλυε.

Offendiſti cogitatu, cogitatu reconciliere; ſi verbis, verbis; factis, factis: non enim quem factis læſiſti, ſine factis placaveris.

LII. Amicos præſentes & probatos, quovis auro præſtantiores habeat P. Illis, ut amantiores fiant, benefacere ſtudeat, benevolentia nimirum mutua, & fide. Etenim veriſ. eſt, quod Dolet: ex M. Tullio eleganter deſumſit.

Le fondement de fermeté & conſtance, que nous cherchons en amitié, eſt foy.

LIII. Nihil magis oblectat animum, quàm fida amicitia. *Quantum bonum eſt, ubi ſunt præparata pectora, in quæ tuto ſecretum omne migrat. quorum conſcientiam minus quàm tuam timeas, quorum ſermo ſollicitudinem leniat, ſententia conſilium expendat, hilaritas triſtitiam diſturbet, adſpectus ipſe delectet.*

LIV. Abſentibus amicis valedicat, & ſalutem crebram literis vel nunciis mittat. Nam licet loci diſtantia non ſeparet amicitiam, ſed operationem: attamen omiſſa hac, ipſa amicitia algere incipit.

Felices ter & amplius

Quos

Quos irrupta tenet copula: nec malis
Divulſus querimoniis
Suprema citiùs ſolvit amor die.

LV. Quicunque P in re aliqua excellere cupit, proponat ſibi imitandum aliquem ex perfectiſſimis, qui ibi ſunt, ubi degit, cujus mores artemque imbibat, & brevi temporis ſpatio, progreſſus faciet tales, quales exoptat.

LVI. Prudens Peregrinator ſemper ſe gravem in credendo & ſperando exhibeat, nec omnia pro veris, nec omnia pro falſis habeat, ſed aliquid minus iſtorum credat, quæ adſeverantur in regionibus exoticis.

LVII. Animi cauſa ludere ſi vult, utatur luſu honeſto, & eo quidem cum notis, cum ignotis non æquè, ne per ludum, vel ingenium, vel pecuniam improbis ſpeculatoribus edere cogatur.

LVIII. DEUM, veluti virtutem inexplicabilem, veritatem incomprehenſibilem, ſapientiam ineffabilem Peregrinans ut domi, ſic multò magis foris invocet. Sive itaque tribulemur & anguſtemur, ſive lætemur & exultemus, ille laudandus eſt, qui in tribulationibus erudit, & in lætitia conſolatur. *Laus enim* (ut piè Auguſtinus dicit) JEHOVÆ *à corde & ore Chriſtiani & Peregrinantis recedere non debet, non ut laudet in proſperis, & maledicat in adverſis: ſed quemadmo-*

quemadmodum Regius Propheta David ait: Semper laus ejus in ore meo. Gaudes, agnoſce Patrem blandientem: tribularis, dignoſce Patrem emendantem; Sive blandiatur, ſive emendet, eum erudit, cui parat hæreditatem.

LIX. Nam ſi divinitas, quæ gubernat hunc mundum, incredibili beneficentia genus humanum ſuſtentat, & quaſi paterna clementia fovet; vult profectò gratiam ſibi referri, & honorem dari, ut ſapienter Lactantius docet.

LX. Colendus itaque erit DEUS interna animi pietate, ut, quantum patrio & ſincero cultui propter incommoditatem peregrinationis decedit, tantum internæ pietati accedat.

LXI. Ob præterita ſummum rerum opificem Peregrinans celebrabit; ob præſentia laudabit; ob futura de felici omnium rerum ſucceſſu redituque jugiter precabitur. Hunc mens diligat, lingua canat, manus ſcribat, atque in his cogitationibus animus Peregrinantis ſe exerceat Pittaci ſententia ponderoſa:

περὶ πάντων σέβου τὸ θεῖον.

LXII. At ſi forſan contingeret, ut Peregrinans propter religionem aliquid pati cogeretur, non eſt quòd ob id animum ſtatim abjiciat, & deſperet, quin immo cum Pſalte canat: *Vera*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Vera fides facit, ut loquar, & pia dogmata ſpargam.
Hic premor, & plagas probraque multa fero.

LXIII. *Quid*, inquit eloquentiæ parens, *laudabilius, quàm memoria rectè factorum, & libertate contentum negligere humana; Si ſecuta fuerit quæ debuit fortuna, gaudebimus. Sin minus, ego tamen gaudebo, quamvis qui fuerim, & qui eſſe potuerim, eſſe non poſſim.*

LXIV. Magnum judicium Pereg. teſte Cominæo, requiritur, non tantum ut cognoſcat & apprehendat mores ſibi convenientes: ſed etiam ut diſcat modorum diverſitatem; quibus erga alios pro differentia ſit utendum. Aliter enim ſe præſtare debet juvenibus, aliter ſenibus, aliter nobilibus, aliter ignobilibus, aliter principibus, aliter privatis, aliter doctis, aliter indoctis. In hoc itaque cardo peregrinationis omnis vertitur.

LXV. Hac in re valdè commendatur vigilantia Ulyſſis & imprimis verſutia Alcibiadis. In hoc enim fœliciſſima quædam & admiranda ingenii morumque dexteritas fuit (ſi fidem habere licet Poëtis) qui ſic Polypum agebat, ut Athenis dicteriis & ſalibus luderet, equos aleret, comiter & eleganter viveret. Idem apud Lacedæmonios

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

nios radebatur, pallium geſtabat, lavabat; Apud Thraces belligerabatur, ac potabat: Ubi verò perveniſſet ad Tiſaphernem, delitiis, mollitie, faſtuque, juxta gentis morem, eſt uſus.

LXVI. Hunc qui ſequuntur, quod ſequuntur, aſſequuntur. Ego verò quid ſentiam, non aperiam, ne faciam contra Philoſophorum dogmata, qui conſtantiam ubique extollunt, illud audeo affirmare cum Poëta:

Pectoribus mores tot ſunt, quot in orbe figuræ:
Qui ſapit, innumeris moribus aptus erit.

LXVII. Juvenis officium eſt; præcipitantem linguam frænare, & ſilentio pro medicamento uti. Quazzus enim dicere ſolebat, *inſignem reprehenſionem mereri juvenem, qui ut ſenex, & fœminam, quæ ut vir loqui velit. Iuvenis proinde peregrinans ſenes tanquam duces ſequatur, & certò ſibi polliceatur, eum ſapientem fore, qui ſapientium ſodalitate gaudet.*

LXVIII. Unde origo virtutum in nobis humilitas, quæ (aſſerente Gregorio) veraciter pullulat, ſi in radice propria, hoc eſt in ſubmiſſione perdurat, à qua ſi abſcinditur, areſcit.

LXIX. Primum itaque eſt hominis ſapientiam affectantis, & cum judicio Peregrinantis, contemplari, quid ipſe ſit, quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

intra ſe, quid extra, quid ſupra, quid infra, quid contra, quid poſt ſit.

Exinde diſcet:

Quo fortuna altiùs
Evexit, ac levavit humanas opes,
Hoc ſe ſupprimere magis felicem decet.

LXX. Erga nobiliores & illuſtres perſonas, præceptum hoc Periandri notabit:

ἄρχουσιν εἶκε.

Eſt enim ordo naturalis (adſtipulante Auguſtino) in hominibus, ut ſerviant fœminæ viris, filii parentibus, majori & nobiliori minor & ignobilior. Hinc Maro:

Tu major: tibi me eſt æquum parere Menalca.

Et Scaliger:

Reverenter habe quos ſuperi dant ſuperiores,
In ſe ſpuit is, qui ſpuit adverſus Olympum.

Iccircò:

Ne conſiliis alterius regi recuſes:
Eſto illius, atque eſto tuus tuumque ſerva.
In poſſe tuo velle, modum in velle alieno.

LXXI. Erga pauperes liberalitatem exerceat, rivulos ex peregrinationis ſuæ fontibus ubivis terrarum derivari in egenos permittat.

LXXII. Demoſthenes nolebat ut quiſquam pauperes floccifaceret, propterea quod

quod homines æquè atque divites eſſent.

Plautus artificioſè pauperem delineat dum dicit:

Miſer eſt homo, qui ipſe, quod edat, ſibi quærit, & ægrè invenit. Sed miſerior ille, qui & ægrè quærit, & nihil invenit. Ille miſerrimus, qui cum etiam eſſe cupit, quod edat, non habet.

Da itaque pauperibus quod accipias, ſere quod metas, ſparge quod colligas:

Extra fortunam eſt quicquid donatur egenis:
Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

LXXIII. Sacris hominibus debitam reverentiam Peregrinans exhibeat, vel ob hoc unum, quòd DEO ſint dicati. Seneca ait: *Si hominem videris verè religioſum, periculis interritum, cupiditatibus intactum, inter adverſa felicem, in mediis tempeſtatibus placidum, non ſubibit te veneratio hujus?*

LXXIV. Hactenus de BONIS ANIMI diximus, nunc reſtat aggrediamur & enucleemus BONA CORPORIS. Et ut in illis magna requiritur induſtria; ſic in his non inferior diligentia; Oportet enim

Vt ſit mens ſana in corpore ſano.

LXXV. Cum, teſte Platone, pauca voluptati, multa ſanitati debeantur, Peregrinator ſanus omnem rudentem moveat, ut ſanitatem conſervet, quæ Medico Hippo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

crate in hoc conſiſtit fundamento: *ut quis non obruatur alimentis, non exolvatur exercitio.*

LXXVI. Pythagoras dicere ſolebat; *Corpus requirit ne famem, ne ſitim, ne frigus patiatur.* Socrates, judicio omnium ſapientiſſimus, monebat *ut caverent ſibi homines à cibis qui non eſurientes ad edendum, & à potibus, qui non ſitientes ad bibendum allicerent.*

LXXVII. Cornelius Celſus magnus ille Medicorum patronus, artificioſe hac de re diſſerit, dum ita infit:

Sanus homo, & qui bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe libenter debet, ſed oportet illum varium vitæ genus habere, modò ruri eſſe, modo in urbe, ſæpiùs in agro, navigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequentiùs ſe exercere: ſiquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam ſenectam, hic longam adoleſcentiam reddit, &c.

LXXVIII. Diætam ſervet Pereg. quæ conſiſtit (ſecundum Zuvingerum virum ob ſingulares ingenii dotes, & politiſſima ſcripta nemini non notum) in qualitate manifeſta calida & frigida; occulta & peſtilenti, quæ vitari nequit, perferatur.

LXXIX. Priuſquam manè iter ingrediatur, acratiſmo utatur, ſi aſſuevit: ſin minus, trochiſcis vel radicibus facile para-

bilibus

bilibus & ad corroborandos ſpiritus idoneis.

LXXX. In victu frugalis ſit, in prandio præſertim, ne cruditas exercitio nimio adaucta, graviſſimorum morborum ſeminaria pariat. Epaminondas tàm temperanter & frugaliter vixit, ut aliquando ad cœnam vocatus à vicino, cum reperiſſet obſoniorum & unguentorum apparatum, ſtatim abierit, dicens: *Ego te ſacrificare putabam, non delitiari & illùdere.*

LXXXI. Speciosum ſanè id Luculli eſt:

Diſcite quàm parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat, non erigit agros
Nobilis ignoto diffuſus conſule Bacchus,
Non auro, myrrhaque bibunt, ſed gurgite puro
Vita redit, &c.

LXXXII. Circa qualitatem alimentorum Peregrinans notet, ut à patrio victu, ad peregrinum pedetentim, non confeſtim migret. Sæpe alias per ciborum exoticorum aviditatem debilitantur ſtomachi vires, nec non abundantiam ſanguinis & choleræ, & plurimas ægritudines alias eſcarum largitate contrahimus. Cautè Pythagoras:

Continentiam tibi ut robur ingens divitiaſque parato.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

LXXIII. Demoſthenes dicit,

Perpetuum hoc eſſe debet ſapientis inſtitutum ut rationem cupiditatum dominam conſtituat.

Socrates rogatus, quomodo à cæteris differret hominibus, reſpondet:

Alii quidem vivunt, ut edant;
Ego verò edo, ut vivam.

Anacharſis Scytha ſtatuis & imaginibus ſuis adſcribebat:

LINGUÆ, VENTRI, PUDENDIS TEMPERANDUM: quod maximorum malorum cauſa ſit lingua effrænis & luxu nihil turpius, libido pecudem ex homine reddat.

LXXXIV. Diligenter hæc diligens Peregrinans expendat, & notet, quod ſatius ſit mori quam per incontinentiam obnubilare animum, ut quidam Philoſophus dicebat.

LXXXV. Aëris quoque intemperiem fugiat: hyeme matutinum & veſpertinum frigus: æſtate meridianum æſtum, & nocturnum frigus.

Quantum enim conducat hujus rei obſervatio, tradit Marſil. Ficinus, qui de ſtudioſorum ſcripſit diæta.

LXXXVI. Contra calidiorem aëris temperiem P. caput levi, alto & lato pileo operiat. Corpus cùm incaluerit vehemen-

ter, vel ex ambulatione, vel ex pilæ luſu, aut honeſto dimicationis exercitio (quæ omnia frequentia ſunt inter ſtudioſos) ne ſtatim ſe aëri frigido exponat, ſed vel veſtimentis tectus quieſcat, vel continuato motu, ſed paulatim decreſcente ad extremum alterum, refrigerationis nimirum perveniat.

LXXXVII. Frigidam aëris temperiem perferat, munitis probe membris principalioribus, capite ſcilicet, thorace & ventre cum aliâs, tum præſertim oblonga faſcia.

LXXXVIII. Si vero contingeret ob nimium frigus, ut P. congelatus eſſet, non ſtatim in calidum locum ducendus eſt, natura enim repentinas mutationes non fert, ſed in temperato loco moveatur, & paulatim calefiat.

LXXXIX. Ex duris vel arctis calceis vel ocreis pedes interdum læduntur, ita ut iter remorentur. Huic pedum dolori ſuccum inungat cæparum. Gratalorus vult, ut iter agentes artimiſiam in calceis ferant contra laſſitudinem.

XC. Peregrinans in locis & diverſoriis eligendis judicium adhibeat, ut honeſta, fida & ſecura petat. Nam non tantùm moribus, ſed & corpori ſaluberrimus locus eſt eligendus, ut Seneca vult.

XCI. Si autem accideret, ut difficul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

tate itineris ſpurca loca ipſi eſſent petenda, cum Democrito cogitet, locum illum non poſſe ipſi auferre virtutem & animi præſtantiam. Diogenes aliquando objurgatus, quòd intraret loca ſpurca, ac parùm honeſta, reſpondit:

Et Sol ſubit latrinas, nec tamen inquinatur.

XCII. Attamen ratio flagitat, ut nunquam ſine ſuſpicione degat in ejuſcemodi diverſoriis, nec facilè cuiquam credat, quantumvis in ſpeciem amico, nec arridenti, nec amplexanti, nec etiam dejeranti. Hinc adfabre Scalig.

Clariſſima ſententia, confidere paucis:
Sed clarior eſt altera, confidere nulli.

XCIII. Rara profectò avis in terris fides.

Quapropter:

Fide parum, multumque vide, nam fidere multum,
Et vidiſſe parum, maxima damna parit.

Et Itali:

Chi non ſi fide non è ingannato.

Igitur:

Tutus ubique manes ſi calliditate valebis,
Non eſt ſimplicitas digna favore magis.

XCIV. A ſomno diurno, in herba præſertim aut fœno recenter ſecto, corpore

æſtuante

æſtuante Peregrinans abſtineat: In ſummo frigore ſomnum ceu mortis fratrem & proxenetam, ſuſpectum habeat.

XCV. Somnus nocturnus tantus erit, quantum concoctricis neceſſitas exigit. Caveat Per. quantum poterit, ne totus quandoque dormiat: ne ſit ſomnus ejus quies non laſſi, ſed ſepultura corporis ſuffocati: non reparatio, ſed ſpirituum extinctio.

XCVI. Infelices & impigri ſunt, qui longam noctem dormiendo ad medietatem diei protrahunt: unde Poëta:

Infelix tota quicunque quieſcere nocte
Suſtinet, & ſomnos præmia magna vocat.

Et Gallus quidam ex Epicteto graphicè loquitur:

Sommeil repos de tout & aux Dieux agreable:
Sommeil paix de l'eſprit, ennemi de ſoucy,
Sommeil qui ſouſtient tout eſprit laſſe auſſi,
Et de nouveau, le fais au labeur convenable.

XCVII. Cubicula pura ſeligat. Opus namque eſt in lodicibus dignoſcendis homine emunctæ naris. Linteamina igitur & cervicalia munda ſunto, atque ut haberi poſſunt, nulli ſumptui parcito. Si non poſſunt, ſudariolo cervical tegito.

XCVIII. Hilaritate cantionum, nar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

rationum, ſpeculationumque itineris tædium ſublevabit. Talis enim animi lætitia corporis dolores & peregrinationum difficultates mitigat. Et Seneca:

Dum fata ſinunt,
Vivite læti.

XCIX. Comitem facundum & hilarem vehiculi loco adhibeat. Nam quæ aliqua perturbatione in peregrinatione fiunt, ea nec conſtanter fieri poſſunt, nec iis qui adſunt & audiunt, probari. Si autem jocos exigis, hos quoque cum dignitate ſapientiæ gere, ut non te gravent tanquam aſperum, nec contemnant tanquam vilem. Non erit tibi in via ſcurrilitas, ſed grata urbanitas. Sales tui ſine dente ſint, joci ſine vilitate, riſus ſine cachinno, vox ſine clamore; inceſſus ſine tumultu, quies tibi, non deſidia erit: & cum à comitibus luditur, tu honeſti aliquid tractabis.

C. Primis diebus Peregrinans minime properet, ſed principium ipſi ſit remiſſius: Medium æquabile: Finis verò quietus. Eæ etenim peregrinationes, quæ non impetu, ſed lento quodam tractu ſenſim conſumtis primùm obſtaculis, perfici oportet, multo diutius protrahantur, quam ſub initium eorum quiſquam credidiſſet: ut adpoſitè loquitur Italus Guicciardinus.

CI. Motu ſenſim ut decreſcente, P. ad priſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

priſtinum reſtituatur ſtatum, ultimis diebus minime feſtinet. Mediocritatem potius adhibeat. Nam

Fœlix mediæ quiſquis turbæ
Partem quietus aura ſtringit
Littora tuta, timiduſque mari
Credere cymbam, remo terras
Propiore legit.

CII. In locis certis vel emporiis nobilioribus, ſi immorari cupit P. ut, quæ inibi vel auditu vel ſpectatu digna ſunt, notet, devitet comites, qui tantum corpore, non animo peregrinari callent. Hi namque delicati Peregrinantes paulatim enervant & emolliunt. Hærebit tibi avaritia, quamdiu avaro ſordidoque convixeris: hærebit tumor, quamdiu cum ſuperbis converſaberis, ait Seneca. Sic quoque puto, hærebit ſocordia, quamdiu cum id genus ſociis peregrinaris. Salutare igitur eſt, non converſari diſſimilibus & diverſa cupientibus. Turba etſi non mutat te, impedit tamen. Multum autem nocet, etiam qui moratur. In vitia alter alterum trudimus.

— Dedit hæc contagio labem,
Et dabit in plures, ſicut grex totus in agris
Vnius ſcabie cadit & prurigine porci,
Vvaque contacta livorem ducit ab uva.

Converſatio optima Philoſophorum, quod ex Pythagorico hoc (Val. Maximo referente)

ferente) apparet. Cum enim ſtupidus quidam, audiente Pythagora, diceret: Malle ſe cum mulieribus eſſe, quam cum Philoſophis converſari: *Et ſues*, inquit, *in cœno libentius, quam in pura aqua verſantur.*

CIII. Iter ingreſſus, & ſocietatem novorum comitum, diſſidia deprehendens, inter illos Peregrinans, nulli adhæreſcat parti, & neutralem ſeſe præbeat, vel ſi omninò hoc eſt faciundum, eligat partem, quæ majori prudentia & firmioribus fundamentis nititur. Secus ſi fecerit, non invidiam ſolum, ſed & pericula in ſe aſciſcet, juxta vulgare Germanorum proverbium:

Dem Scheider wird gemeiniglich ſein Theil.

CIV. Ætatem convenientem requirimus quæ & motum peregrinationis quoad corpus perferre poſſit, & ea ſit animi ſolertia, ut fructus utiles ex peregrinatione percipere queat:

Ipſa autem natura dictat ſenes, infantes, & eos qui non valido ſunt corpore, ad peregrinationis acerba minus idoneos eſſe.

Et Cornel. Gallus canit:

Diverſos diverſa juvant, non omnibus annis
Omnia conveniunt, res prius apta nocet.
Exultat levitate puer: gravitate ſenectus:
Inter utrumque manens ſtat juvenile decus.

Hunc

Hunc tacitum, triſtemque decet; ſit clarior ille
Lætitia, & linguæ garrulitate ſuæ.

CV. Pro diverſitate peregrinationis propoſitæ, alia eſt aliâ commodior ætas. Tenerior equidem apta ad ſpectandum, apprehendendnm, imitandum: inepta ad judicandum, & ſeligendum.

CVI. Et idipſum innuit Poëta dum ita inſit:

Ætatis cujuſque notandi ſunt tibi mores:
Mobilibus decor naturis dandus: amicas
Reddere qui voces, jam ſcit puer & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere & iram
Colligit, & ponit temere ac mutatur in horas.
Senſus abeſt parvis lactantibus, & puerorum
Dura rudimenta & juvenum temeraria ducas.

CVII, Maturior autem ætas in apprehenſione & obſervatione eorum, quæ percipiuntur, ſenſu quidem tardior eſt, ratione verò expeditior; in dijudicando certior, quid ſequendum, quid fugiendum, quid ſuſcipiendum, quid omittendum, ut hoc tradunt eleganter Phyſici, & ex iis Zuvingerus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

CVIII. Conſtantior etiam eſt illa ætas, cum minus facile alienorum morum contagione inficiatur: Itaque Plato vir ſummus & ſagax omnium rerum indagator illam vitæ humanæ periodum, quæ ab anno L. ad LX. extenditur, peregrinationibus tanquam convenientem deſtinavit. Hinc Terent.

Omnia ætate magis alia rectius ſapimus:

Quod approbat Naſo, dum inquit:

— etenim mihi multa vetuſtas
Scire dedit.

CIX. Cum inter officia virilia peregrinatio referatur, fœminam, (teſte Zuvingtro) οἰκουρὸν natura ipſa non voluit. Et hoc omnino in Germania verum eſt, ut non niſi vel miſera vel laſciva & petulans peregrinatura videatur.

CX. Verum non ubique ita eſt. Nam obſervavi ego & ſumma cum admiratione vidi, Batavorum mulieres ſuſcipere peregrinationes, tum terra, tum mari periculoſiſſimas. Et hoc ipſo in facto gloriantur, & viragines audire cupiunt. Quod teſtatur Vir mirifice doctus Hadrian. Junius, qui in Batavia ſua de Hollandiæ ingeniis, ſub c.16. ita ſcribit:

Fœmineum genus proceritate, forma naturali & non fucato nitore, & lacteo candore gentes finitimas ſuperat. viragines dicas, uſque adeo nullius laboris parca adverſus quaſ-

vis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

vis aëris tempeſtatiſque injurias duratæ maria terraſque obeunt negotiationis ſtudio &c. Hæc ille.

CXI. Omni omnino in peregrinatione principale eſt inſtrumentum, & teſte Biante, unicus actionum omnium nervus pecunia. Huc alludit Demoſthenes in 5. olynthiaca:

δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων ἐστὶ
γενέσθαι τῶν δεόντων,

Mimermus vetus Comicus ait:

χρήματα αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς.

CXII. Tam omnibus nationibus in ore fuiſſe videtur hæc ſententia, quàm nunc etiam omnibus eſt in uſu:

Pecuniæ obediunt omnia.

Quod nos eleganter reddimus:

Gelt regiert de Welt.

Unde Horatius:

O cives, cives, quærenda pecunia primum,
Virtus poſt nummos &c.

Idipſum egregiè ſignificatur etiam Græco illo Epigrammate, quod ex Menandro latine reddidit Vir doctiſſ. Joh. Ladiſlaus:

Tellurem, Aquam, Solem, Aëra, Ignem, Sydera
Deorum Epicharmus indigitavit nomine,
Sed utiliores judico Deos ego
Aurumque fulvum, argenteaſque laminas:

Quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Quæ ſi repoſta poſſides domi tuæ;
Quicquid voles, pete, conſequeris omnia;
Agros, domum, mancipia, vaſa argentea,
Teſtes, amicos, judiceſque; da modo.
Nam ſic vel ipſi ſerviant tibi DII.

CXIV. In comparando curam pecuniæ habeat Peregrinans, qualis, quantaque in hac vel illa regione & provincia. Vnaquæque ferme natio monetam habet propriam. Vigilantem itaque ſe præbeat in indagando apud eos, qui notitiam hujus rei habent, ut ſunt mercatores, tabellarii: magnum exinde ſentiet commodum.

CXV. In cuſtodiendo diſpiciat, ubinam aſſervanda, quibus credenda, quomodo occultanda. In his oportet non ſomnolentum, ſed vigilantem eſſe. Qui enim vel de induſtria, vel ex ignorantia, in via & hoſpitiis, aurum & argentum ſuum oſtentat, is veluti fures & latrones allicit & invitat.

CXVI. Ad χρῆσιν quod attinet, laboret quàm caute expendat.

Etenim;

Non minor eſt virtus quàm quærere, parta tueri,
Caſus ineſt illic, hic erit artis opus.

CXVII. Qui autem in pecunia petenda & retinenda raró ſibi ſcit modum imponere,

ponere, à peregrinatione tanquam avarus, & manus puras non habens removeatur. Quæ enim eſt iſta aviditas concupiſcentiæ? cum & ipſæ beluæ habeant modum; Tunc enim rapiunt quando eſuriunt; parcunt verò prædæ, cum ſenſerint ſatietatem. Inſatiabilis eſt ſola avaritia divitum Peregrinantium, ſemper rapit, & nunquam ſatiatur, nec Deum timet, nec hominem reveretur, nec patri parcit, nec matrem cognoſcit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem ſervat, Viduam opprimit, pupillum invadit, liberos in ſervitium revocat, teſtimonium falſum profert, Res mortui occupantur, quare & qui faciunt, non moriuntur. Quæ eſt animorum inſania illa, omittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum & perdere cœlum?

CXVIII. Immo in Perigr. tali ſimul concurrunt cordis duritia, inquietudo mentis, violentia, fallacia, perjurium, fraus & perditio. Improbi tales & avari, quoniam incertas & in caſu poſitas habent poſſeſſiones, & plus ſemper appetunt, nec eorum quiſquam adhuc inventus eſt, cui quod haberet, eſſet ſatis, non modò non copioſi ac divites, ſed etiam inopes ac pauperes exiſtimandi ſunt.

CXIX. Præceptum Thomæ Mori ſequere, quod tale:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Vtere divitiis, tanquam moriturus, & idem,
Tanquam victurus parcite divitiis,
Parcere divitiis qui tempore novit, & uti,
Ille modum ſervans inter utrumque ſapit.

Politè diſſerit hac de re Val. Max. *Caduca* (inquit) *& fragilia, puerilibuſque conſentanea crepundiis ſunt iſta, quæ vires atque opes humanæ vocantur: affluunt ſubito, repentè dilabuntur, nullo in loco, nulla in perſona ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt, ſed incertiſſimo fortunæ flatu huc atque illuc acta, quos in ſublime extulerunt, improviſo decurſu deſtitutos, in profundo cladium miſerabiliter immergunt. Itaque neque exiſtimari, neque dici debent bona, quæ inflictorum malorum amaritudine, deſiderium ſuum duplicant.*

CXX. Peregrinans qui pecunia deſtituitur, & propriis non poteſt vivere ſumptibus, aut vivat alienis, aut ea ſubeat miniſteria, quæ ſuæ peregrinationis fini non ſunt contraria, agatque famulum. Paupertatem talem & ægritudinem nemo ſapiens mala dixerit nec in malorum ſorte numeraverit, quia neceſſaria in bonis habentur maximis, quorum nobis alia ex natura, alia ex commoditate videntur. Honeſta res eſt, læta pauper-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

paupertas. Cui cum paupertate bene convenit, dives eſt: non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. Multis ad peregrinandum obſtitere divitiæ, paupertas autem expedita eſt, & ſecura. Aut ergo pauper ſis, aut pauperi ſimilis, ſi tutò peregrinari cupis.

CXXI. Verum enimvero ut eò meliùs Pereg. pauper in ſtudio cœpto pergere, & in gratiam eo felicius Fautorum & Promotorum venire poſſit, ſequentes diligenter notet regulas, & ſecundum has actiones dirigat ſuas.

Quapropter qui es egenus,
Neu præceptis parere recuſa.

CXXII.

Lex igitur ſit prima; fidem ſervato: deinde
A domini mundas rebus habeto manus.

Maximum ſiquidem vinculum in fide publica & privata, qua nec majus fuit numen apud Romanos, & cui templum dedicârunt, & in quo fœdera ſanciebantur, devotis capitibus diis inferorum eorum, qui promiſſum frangerent. De qua re eleganter Gregorius Tholoſanus 7. de repub. 20.

CXXIII.

Odi mendacem, non poſſum ferre protervum,
Nec tu luſorem crede placere mihi.

Epænetus eſt ſolitus dicere: *Mendaces omnium*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

omnium ſcelerum & injuriarum authores eſſe. Ariſtoteles interrogatus, Quid lucrifacerent mendaces? *ut vera*, inquit, *loquentibus non credatur.* Ut enim Veritas immortalis eſt: ſic fictio & mendacium non durant. Simulata illico pateſcunt, & magno ſtudio compta cæſaries vento turbatur exiguo, & operoſe licet impreſſus fucus ſudore diluitur, argutum quoque mendacium vero cedit, coramque preſſius intuente diaphanum eſt, opertum omne detegitur, abeunt umbræ, nativuſque rebus color manet, & latere diutius magnus eſt labor.

Bene præcipit Syrus apud Comicum, dum ita infit:

Quin nolo mentiare:
Apertè, ita ut res ſe habet, narrato.

CXXIV.

Odi qui multum ſeſe mihi jactat, & odi
Alterius famam qui lacerando premit.

Ariſtoteles admonebat ſuos, ne nimium ſe laudarent ipſos, nec etiam vituperarent. Laudare ſeipſum vani, vituperare ſtulti eſt. Apulejus dicit: Neque facundiæ oſtentatio rudi & indocto, neque gloriæ cupido ruſtico ac barbaro, neque inceptio patrociniorum ſeni congruit. Hinc Perſius vehementer invehitur in tales jactabundos naſutulos:

O mores! uſque adeone

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat
alter.

Quocirca ſi vis ſublime oſtendere virtutis, noli ſapere ſublime, & tunc illud quod egeris monſtrabis excelſius. Noli te putare quicquam feciſſe cum feceris; & pleniſſime cuncta feciſti.

CXXV.

Diſplicet indocilis nimium, mihi diſplicet
ille,
Qui multo ſemper murmure juſſa facit.

Ergo ſecundum Horat.

Omnia qui per ſe ſapiat, longe optimus ille
eſt
Multo ante expendens quænam ſint optima
factu.
Is tamen & frugi eſt, qui paret recta monenti,
Ac qui nec per ſe ſapiat, neque mente retonat
Ex aliis audita, vir undique inutilis hic
eſt.

CXXVI.

Non eſt quod durum, non eſt quod litis
amantem,
Contactum non eſt invidia quod amem.

Quod enim monſtroſius monſtrum invidia? Aut quod damnoſius damnum? Quæ culpabilior culpa? Quæ pœnalior pœna? Hæc eſt erroneæ cæcitatis abyſſus, humanæ mentis

mentis infernus, contentionis ſtimulus, corruptionis aculeus, ut pulcre Alanus oſtendit. Antiſthenes abſurdum eſſe dicebat, triticum repurgari à lolio; bellum ab inutili milite, & à republica non ſecernere invidos.

Significans invidos tàm eſſe inutiles civitati, quàm lolium eſt tritico, & ignavus bello.

CXXVII.

Aſſentatorem non plane diligo, nec qui
Deſidiæ fuerit deditus, atque gulæ.

Nec certè mirum. Tales enim climacides gloſſogaſtores, & qui ſunt ex cohorte Prætoris haud vera, ſed mercenaria præconia proferunt, & verbis coquinariis utuntur. Satius itaque eſt, in corvos, quam in tales incidere. Hi enim viventes; illi mortuos exedunt.

CXXVIII.

Quis toleret famulum domini ſecreta volentem
Scire: quis elatum multiloquumque ferat?

Hirundinem in domo non ſuſcipiendam, id eſt, garrulos & verboſos ſub eodem tecto non habendos, ſuadebat Pythagoras. Et Horatius:

Percontatorem fugito, nam garrulus idem eſt.

CXXIX.

CXXIX.

Fallacem fugio ceu tartara, denique cultum
Ingenuis hominem moribus eſſe volo.

Cavendum profecto ab eo, qui ſemel impoſuit. Vere enim Horat:

Hoc ego cum nihil aggrediar, neque enim expedit unquam,
Quippe ubi fruſtratus ſemel eſt ac fraude fefellit,
Non iterum mihi verba dabit ſtulto: ſemel illi hoc
Sit feciſſe ſatis: quin poſthac ille quieſcat
Ac valeat.

CXXX. Bruta quoque neceſſaria ſunt, Peregrinans igitur dives eligat equum levem, laboribuſque aſſuetum, & ſuper omnia mitem tractabilemque, non ferocem, ne homo per illum animæ periculum incurrat.

CXXXI. Modum tractandi moderandique equos hauriat P. ab equiſonibus, vel nunciis illis, quibuſcum iter agit, quos Germani Poſtmeiſters vocitant.

CXXXII. Ad vias ignotas opus habebit P. viarum demonſtratoribus. Non autem quivis aſſumendi, aſſumpti liberaliter tractandi.

Non enim ita claudenda eſt res P. familiaris, ut eam benignitas aperire non poſſit: nec ita reſeranda, ut pateat omnibus. Quicquid

quid ſine detrimento magno poteſt commodari, id tribuatur.

CXXXIII. Fugiat P. ignotos, pecuniæ inhiantes, & qui Martem ſequuntur;

Nam in his

Nuſquam tuta fides.

Veriſſimam ſane ſententiam eſſe, cum damno meo, & riſu alieno, inter milites Hiſpanos didici:

Nulla fides pietaſque Viris, qui caſtra ſequuntur,
Venaleſque manus: ibi fas, ubi maxima merces.

Hæc vero reſtrictive pono, nec permitto, ut quis malevolorum generaliter hoc accipiat judicium. Non enim ignoro, duas eſſe artes, quæ hominem locare poſſunt in ampliſſimum dignitatis gradum, unam nimirum Imperatoris, alteram Oratoris boni. Interim verò non rejicio, ſed extollo Plutarchi iſtud:

Quanam (inquit ille) *tibi tanta felicitas videtur, ut ejus gratia naturam exiſtimes hominibus novercam, brutis vero parentem eſſe? an propter magnitudinem, celeritatem, viſuſque aciem ita cenſes? ut hominum propria vis in animi ratione conſiſtit, qua & elephantos per ſylvas pedicis capit, frenat equos, ſubjugat boves aratris, volucria dejicit arundinibus, & in profundo ſubmerſa retibus*

tibus extrahit. Hæc ejus vis eſt: quæ multò ulterius ſe profert, cum ambitus terræ, cœli magnitudines, & ſtellarum circulos perſequendo non fatigat. Hæc erunt Hercule digna. Quis enim Vlyſſes, quam Cyclops eſſe malit?

CXXXIV. Ad defenſionem ductoribus & protectoribus (quos Germani Das Geleid / Belgæ autem *Convoy* appellitant) ſeſe certis ac fidis adjungat P. ſecus facile extremum vitæ diſcrimen incurrere poteſt, quod vitabit, ſi ardenter DEUM pro felici itineris ſucceſſu invocaverit. Ab altiſſimo enim eſt, ut dirigantur greſſus viri, ut Regius Propheta David ait.

CXXXV. Equiſones, Nautæ, Muliones, & Veredarii multum quoque prodeſſe poſſunt P. Horum ubique larga meſſis, qui exiguo bolo vel hauſtu cereviſiæ placari poſſunt, & blandis verbis retineri.

CXXXVI. Comitum numerus ſit talis, ut neque multitudo moleſtum, neque paucitas infeſtum reddat iter. Curam itaque & in hoc habeat P. Nam

Μελέτη πάντα δύναται.

Sed cum longa dies acuit mortalia corda,
Et labor ingenium miſeris dedit & ſua quemque
Advigilare ſibi juſſit fortuna premendo,
Seducta in varias certarunt pectora curas,

Et quodcunque ſagax tentando repperit uſus.

(Ut ait Manilius.)

Convenit igitur trutinare, quid utile, quid damnoſum.

CXXXVII. Præſtat & jocundos habere comites, & utiles ne vel feſtinatione, vel tarditate, vel ſtudiorum diverſitate moleſtiam moveant Peregrinanti. Nam inter quos eſt æqualitas ſcopi ejuſdem, & ex æqualitate concordia, ii tutiores ſunt ab hoſtium incurſu.

CXXXVIII. Optima ergò medicina peregrinanti comes, & morum & ſtudiorum æqualis, qui ejus remediatur adverſis, qui ejus condeſcendit incommodis, qui gravia levigat, qui comitis onera, quaſi juncto humero ſimul portat, ut docet Pet. Belenſius in lib. de amicitia.

CXXXIX. Comites etiam quo certiores & delectiores, eo meliores. Mores illorum, quos, ſemel Peregrinans ſuſcepit, non tam oderit, quàm noverit.

Propertius enim:

Vnicuique dedit vitium natura creato.

Conducibilius eſt perpetuos illos eſſe quam viciſſitudinarios, modo probi.

Nam recte Joſ. Scaliger:

Morum malorum peſtilentus ſpiritus
Sive afflat, affert; ſive ſtringit, inficit:

Ne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Ne fortè te ullis allinat contagiis
Pruritus aliquis, tale contubernium
Odiſſe propera.

CXL. Deſertis & ſuſpectis, vel etiam inhoneſtis diverſoriis ſi (ut ſæpe contingit) uti cogatur, tanto circumſpectior erit, tum in dictis, tum in factis; quanto majora erunt pericula. Cubiculi ſitum, & fidem januæ explorabit, de obice idonea ſollicitus erit, & ita ſe ſuaſque res ſervabit.

CXLI. A voluntaria inſania P. caveat; *Nam flagitiorum omnium mater eſt ebrietas, culparumque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, ſubverſio ſenſus, tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragium caſtitatis, amiſſio temporis, ignominioſus languor, turpitudo morum, vitæ dedecus, honeſtatis infamia, animique corruptela.*

CXLII. Eas res in peregrinatione ſecum ferat, ſine quibus eſſe nequit, ſuperflua omnia rejiciat, quæ & impedimenta ſunt habenti, & irritamenta alienæ cupiditatis.

Etenim ut Seneca ait:

Opes bonæ ſunt inſidioſa, quæ nonnunquam in pericula poſſidentes conjiciunt.

Quicquid itaque à ſapiente Peregrinatore diligenter prævidetur, faciliùs, cùm de neceſſitate contingit, ſuperatur. Melius enim eſt, ante tempus occurrere, quam poſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

vulnus datum, remedium quærere.

Gallus ait:

Le mal venu il le faut endurer,
Bon gré mal gré; rien n'y ſert murmurer:
Mais paravant qu'il vienne, l'homme ſage,
Peut par conſeil devancer ſon dommage.

CXLIII. Si per ſolitudines iter faciat, vel per fluctuoſa flumina & maria naviget, quandoquidem divertendi non facilè occaſio commoda, cibaria nec paratu ſumptuoſo, nec conſervatu operoſa, pro ratione temporis aſſumat. Natura enim iis contenta, quod eleganter Juvenalis demonſtrat:

Menſura tamen quæ
Sufficiat cenſus, ſi quis me conſulat, edam.
In quantum ſitis atque fames & frigora poſcunt.
Quantum Epicure tibi parvis ſuffecit in hortis,
Quantum Socratici cœperunt ante penates,
Nunquam aliud natura, aliud ſapientia dicet.

CXLIV. Cum Achille Peregrinans non vereatur coquinariam artem exercere & modos ciborum ſimpliciſſimorum præparandorum in patria ſua diſcere, ne cum ab auſtero & imperito caupone malè parata, dehiſcat, morbum ſibi adſciſcat.

Diſcat

Diſcat igitur præparare ova, piſces, carnes, oluſcula, & alia.

CXLV. Veſtitum habeat minimè delicatum, cordatum potius & virilem, quam levem, diſſolutum & muliebrem.

Quia

Forma viros neglecta decet.

CXLVI. Vanum cor, vanitatis notam ingerit corpori, & exterior ſuperfluitas, interioris vanitatis indicium eſſe ſolet. Mollia indumenta animi mollitiem indicant:

Munditiæ placeant ---
Sit bene conveniens & ſine labe toga.

Nec igitur affectatæ ſordes, nec acquiſitæ delitiæ Peregrinanti conveniunt, quod apertè Naſo teſtatur:

Sint procul à nobis juvenes, ut fœminæ, compti:
Fine coli modico forma virilis amat.

CXLVII. Diurnæ veſtes erunt petaſus, galerus, caligæ, ſuperfemoralia, ocreæ, chirothecæ, calcei, ſubuculæ & ſudaria: Nocturnæ epibole linea ſuperinduenda reliquis veſtibus, præſertim ubi lectorum ſuſpecta fides vel mundities. Facile alias fieri poteſt, affirmante Eraſiſtrate ex corruptione venenoſa humorum (quæ nonnunquam contingit in diverſoriis) oriatur morbus contagioſus.

CXLVIII. Circumferat ſecum Pere-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

grinans libellos ad peregrinandum idoneos, & regionum itineraria. Armis neceſſariis ſit inſtructus & gladio Ulyſſeo. In egreſſu hoſpitii ex catalogo recenſeantur, ſartane tecta ſint adhuc omnia, & in promptu.

CXLIX. Quoad tempus, tum naturale, tum artificiale catus ſit. Aptiſſima tempora in regionibus temperatis, Ver & Autumnus; in temperatis & calidis Hyems commodior. Frigidis Æſtas, quo ad aërem, convenientior Hyems, quoad viam, gelu ſolidatum. In navigationibus præſtat menſtruum tempus obſervare, quibus de rebus prolixe Zuvingerus.

CL. Iter differat Peregrinans diebus feriatis, ſi fieri poteſt, & tempus iſtud terat in canendo, colloquendo & legendo. Etenim nulla vis major eſt vera pietate, qua ſublata, fides etiam & ſocietas humani generis omnis & excellentiſſima virtus juſtitia tollatur neceſſe eſt. Fundamentum enim omnium virtutum pietatem eſſe, ethnicus homo, & ſummus eloquentiæ Parens M. Tullius non ignoravit.

CLI. Omnis inſuper mora Peregrinanti fugiendà. Nam Quintilianus ait;

Non tam benignum ac liberale natura nobis tempus dedit, ut aliquid ex illo perdamus.

Proinde mature ſe itineri accingat, diver-
ſorium

ſorium petat: Quia

Volat ambiguis mobilis alis
Hora, nec ulli præſtat velox
Fortuna diem.

CLII. Tempus matutinum & antemeridianum, æſtate commodius eſt, pomeridianum hyeme oportunius. Peregrinans ſolarium & horologium ſecum ferat, quibus quantitatem diei examinet.

CLIII. Qualitatis noctis reſpectum adhibeat, intemperiem vitet, inſidias & pericula omnia amoliri ſtudeat, & damnorum vel à beluis vel latronibus imminentium, rationem ſuſcipiat diligentem.

CLIV. Incœptis & deſtinatis inſiſtat P. parum enim eſt res aggredi, niſi obſtinate ad finem uſque eas proſequamur. Scitè aliquis politicorum dicebat:

Nec temerè incipio, nec cito deſiſto.

Multa enim, Livio hortante, ſicut non aggredienda; ita ſemel aggreſſis non dimittenda.

CLV. Si diutiùs in loco quodam P. commorari decrevit, rationem habeat illorum, quos pro ſe ſollicitos eſſe novit, videlicet parentum, ſanguine junctorum, familiarium, & aliorum.

CLVI. Ingens ſiquidem amor paternus, quod Poëta ſpecioſe exprimit, dum ait:

O nimium potens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Quanto parentes ſanguinis vinclo tenet
Natura.

CLVII. Anacharſis Scytha aliquando interrogatus, qua de cauſa operam non daret proli? Reſpondit: *Quia nimis eſſem amaturus liberos.*

Apud Comicum fulget clariſſimum exemplum paterni amoris in quodam decrepito ita loquente:

Aut ego profecto ingenio egregio ad miſeriam natus ſum, aut illud falſum eſt, quod vulgo audio dici: DIEM ADIMERE ÆGRITVDINEM HOMINIBVS. Nam mihi quidem quotidie augeſcit magis de filio ægritudo: & quanto diutius abeſt, magis cupio, tanto magis deſidero.

CLVIII. Cum autem Plato tùm in verbis, tum in factis parentes venerari jubet, Peregrinans nullam negligat occaſionem, quin ſcribat literas, & ſtatum omnem ſuum parentibus aperiat exhilaretque eos. Exiſtimandum enim eſt, nullum apud Deum magis honorandum ſimulachrum nos habere debere, quam patres & avos ſenio confectos matreſque ſimul, quibus honoratis, Deus gaudet.

CLIX. Peregrinantem ſanum non dixeris, in quo non concurrunt virtutes animi & corporis, ſtudium agendi, cogitationes illuſtres, mores elegantes, actiones magnificæ, & verba pura.

CLX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

CLX. Turpe inſuper eſt Peregrinanti, omnium regionum, in quibus ipſi verſandum eſt, ignorare conditionem & ſtatum. Is ergo proprie ſtudioſus Peregrinans dici poteſt,

Non quì multa tenet; ſed qui ſcit idonea vitæ.

CLXI. Peregrinans in regionibus exteris non tantum indulgeat voluptati, ſed & utilitati. Coronarii quidem belliſſimos flores ſectantur, ſalubres negligunt. Contra faciat P. & non tam amœnitati, quam ſalubritati invigilet. Utilitatem illam puto, ex qua paratur ſapientia, rerum præclariſſimarum ſcientia, morum ac virtutum ubertas, prudentiæ privatæ ac publicæ copia.

CLXII. Voluptas communis eſt Peregrinanti, quæ commoratur in amœna variaque locorum, urbium, populorum inſpectione, in crebra & mira mirabilium rerum novarumque auſcultatione; utilitas econtra propria.

CLXIII. Apud politiores gentes notet in cultu, veſtitu, & in actionibus quid deceat, quæ veneres & lepôres in geſtu & ſermone conveniant. Hæc ipſi pro loci, temporis & perſonæ conditione aſſumenda, affectanda, uſurpanda, non oſtentanda.

CLXIV. Alios mores igitur habeat erga Hiſpanos, alios erga Italos, alios erga

Gallos. Nam ut quæque eſt natio, tales plerumque mores habet. Hiſpani in converſatione ſunt inſolentes; Unde ſcite ſane Itali, ſive Veneti : *Chi dice Spagnivolo, dice duolo.* Itali, prudentes. Galli manſueti. Germani cauti. Sic in oratione: Germani ſunt aperti & graves. Hiſpani culti & jactabundi. Galli blandi. Itali verſuti.

CLXV. Ut virorum, ſic quoque fœminarum eſt diſcrepantia, tum quoad corporis formam, geſtum, inceſſum, tum quoad amorem. Italæ ingenioſiſſimæ habentur, & voluptatibus deditiſſimæ. Hiſpanicæ ſuperbiſſimæ, & omnium zelotypæ. Anglicæ non minore cum contentione pro exterorum dignitate certant, quam pro aris & focis. Germanæ ſunt pudicæ, graves, & gratioſæ, quæ animi ſui aciem in curam rerum domeſticarum magis, quam in alias res dirigunt.

CLXVI. Proinde Peregrinans in his omnibus, ut eo melius erga cujuſcunque conditionis perſonam ſe gerere poſſit, illud Plutarchi noret :

ἄλλοτε δ᾽ ἀλλοῖον τελεθεῖν ϗ
χώρου ἕπεσθαι.

CLXVII. Modus autem optimus. Humanitas laudatur, ſi manet intra verecundiæ limi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

limites, nec ſe immiſceat peſſimo vitio, laſciviæ nimirum, quæ oritur ex aſpectu.

Car peu à peu l'amour croiſt: & la femme
De ſon regard le cœur de l'homme enflamme.

Irritamenta ſunt oculi vitiorum, duces ſcelerum: huic adulterium oculi miniſtrant: huic domum, quam concupiſcat.

Armatura Lipſii opus, nimirum ut quis oculos avertat, aures muniat.

CLXVIII. Germana ſimplicitas laudatur inter amicos, inter peregrinos huic omnino periculum experto credite. Epicharmi ſapientiæ nervus in non credendo ponendus. Contra exploratores callidos, tectos & ſimulationis peritos, Peregrinans oculos habeat vigiles, animumque ſagacem.

CLXIX. Caute, circumſpecte verſetur inter verſipelles P. probanda erunt quæ non probamus. Præſtat itaque in ſalutem noſtram, nec in detrimentum aliorum, Cretes inter Cretas eſſe, polypum agere, & perſonam interdum induere & deponere, pro re & ævo, interna interim & vera virtute conſervata. Cogitet quod *chi pecora ſe fa il lupo ſe la mangia.*

CLXX. Fecit hoc Ulyſſes omnis peregrinationis ſpeculum clariſſ. apud Polyphemum multa ſimulans, apud procos mendicum agens. Verſatile hoc hominum genus deli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

delineat ſub ſervi perſona Plautus, dum ſcribit:

Verſipellem frugi convenit eſſe hominem, pectus cui ſapit, bonus ſit bonis; utcunque res ſit, ita animum habeat.

CLXXI. Cunctis fermè regionibus & populis ſingulares ſunt hiſtoriæ, rei adminiſtrandæ familiares modi, & adjumenta diverſa. Elegantioris ſtructuræ formas, amœniores hortorum colendorum rationes dat Italia: Frugalitatis privatæ & parſimoniæ victum Gallia elargitur: Pecuniæ parandæ, emendi vendendique argutias ſuppeditat Belgia. Hæc juvabit notaſſe.

CLXXII. Arduo autem ſtudio inquiret in ea, quæ meliorem patriam ſuam efficere poſſunt. Quicquid itaque ad mores, leges, ritus cujuſque loci, quicquid de principibus belli haberi poteſt in uſus ſuos conſignet.

CLXXIII. Rempublicam florentem, qualis eſt vel Veneta, vel Noribergenſis, Peregrinans ſi offendit, media & rationes quibus adminiſtratur, diligenter inveſtiget, eadem domum reverſus in propria republica adhibere conetur.

CLXXIV. Ut autem habeat in quibus ſe exercere poſſit Peregrinans, non abs re me facturum exiſtimavi, requiſita certa colligere, & iſta huc collocare. Secundum illa ſum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

ſummo cum fructu nemo non peregrinabitur.

CLXXV. Obſervet igitur diligenter Peregrinans in exteris provinciis aëris temperiem, & ſitum regionis.

CLXXVI. Montes, & in illis diverſa metallorum genera, fodinas metallicas. Sic obſervatu digniſſimus eſt in Voitlandia, *Vichtemons*, à pinaſtris ita dictus, qui judicio omnium doctorum Hiſtoriographorum nobiliſſimus eſt, quique quatuor celeberrimos fluvios parturit; nimirum, Mœnum, Egram, Nabum & Salam, quod innuit vocabulum *Mons*. Elegans hujus Piniferi Montis deſcriptio eniteſcit è Chronicis *ENOCH. VVidemanni* viri literatiſſimi, antiquitatum Curienſium ſtudioſiſſimi, & inſignis formandæ pueritiæ formatoris, qui adhuc cum laude patria & genitali ſede fruitur.

CLXXVII. Diſcat, qui fluvii navigabiles, qui piſces in illis, eorumque fluviorum oſtia & tranſitiones ad mare.

CLXXVIII. Rhenus, qui eleganti epitheto Græcis Poëtis ἐλεγχιγάμος dicitur, obturamentum ſuum habet prope Hollandiæ pelagi faciem in vico Katwigh/ quod illi ſemper vident, qui operam dant ſtudiis in Alma Lugdunenſi Batavorum Academia.

CLXXIX. Peregrinans contueatur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

naves varias, & Oceanum fluctuoſum, ex quo potens terræ quaſſator Neptunus, excitatis fluctibus excelſis, horrendum & grande, neque antea viſum monſtrum (quod Batavi Waalfiſch / alii ſeemot vocabant) 3. Februarii, Anno 98. ejecit. Fuit, quoad longitudinem, pedum 56. latitudinem 33.

CLXXX. Conſideret porro, utrum naturaliter præditæ ſint nationes ſylvis, ſaltibus, nemoribus, ad quod etiam pertinet venationis jus.

CLXXXI. Expendat, ſit ne frugifera, quo ad vineta, frumenta, pecora, aliaque, regio, qua in verſatur.

CLXXXII. Urbes nobiliores, & earum nomina conſignet, ut ſolum, mœnia, propugnacula, turres, pontes, portas, plateas, fora, fontes, hortos, ædificia.

CLXXXIII In plateis vero ipſis, amplitudinem, longitudinem & munditiem. Ad munditiem quod ſpectat, affirmo Lugdunum Batav. habere plateas à cœni illuvie puriores, quam ſunt alibi ædes privatorum.

CLXXXIV. Ædificia religioſa adſpiciat, ut templa, fana, ſacella, monaſteria, Academias, Scholas, Collegia.

CLXXXV. Celebritatem Univerſitatum & Studioſorum frequentiam, Profeſſorum eruditionem, numerum & diligentiam; Statuta item & Privilegia.

CLXXXVI.

CLXXXVI. In ædificiis prophanis contueatur Curiam, Armamentaria, Frumentaria, Macella, Vectigalia, Xenodochia, Palatia.

CLXXXVII. In omnibus his elegantiam picturarum, æris, marmoris & alia multa.

Sic notatu digniſſima eſt hiſtoria, quam nobis in Hollandia non procul Lugduno Batavorum pagus *Lauſdun* exhibuit. Accidit enim ut Hermanni Comitis Hennebergiæ uxor, uno eodemque tempore 365. liberos enixa ſit. Licet verò incredibile hoc videatur, tamen locum me vidiſſe, & ex marmore totam hiſtoriam deſcripſiſſe, ſerio affirmare poſſum, quam adponere placuit.

In fronte Epitaphii ſcriptum erat majuſculis literis:

EN TIBI MONSTROSUM NIMIS ET MEMORABILE FACTUM,

QUALE NEC A MUNDI CONDITIONE DATUM,

Inſcriptionem ſequebatur.

MARGARETA *HERMANNI, Comitis Hennebergiæ uxor, Quarti Florentii Comitis Hollandiæ & Zelandiæ filia,*

Guilielmi Regis Romanorum, ac poſtea Cæſaris ſeu Gubernatoris Imperii, atque Alitheiæ Comitis Hannoniæ ſoror, cujus patruus Epiſcopus Trajectenſis, avunculi autem filius Dux Brabantiæ, & Comes Thuringiæ &c. Hæc autem Illuſtriſſima Comitiſſa annos XL. *circiter nata, ipſo die Pareſceues, nonam circiter horam, Anno Milleſimo Ducenteſimo* LXXVI. *trecentos &* LXV. *enixa eſt liberos, qui prius à Guidone ſuffraganeo Trajectenſi, omnes in duabus ex ære pelvibus baptizati ſunt, quorum maſculi quotquot erant,* JOANNES, *puellæ autem omnes,* ELISABETHÆ *vocatæ ſunt, qui ſimul omnes cum matre, uno eodemque die fatis conceſſerunt, atque in hoc* LAUSDUNENSI *Templo ſepulti jacent. Quod quidem accidit ob pauperculam quandam fœminam, quæ ex uno partu gemellos in ulnis geſtabat pueros, quam rem ipſa admirata Comitiſſa dicebat, id per unum virum fieri non poſſe, ipſamque contumelioſe rejecit. Vnde hæc paupercula animo perturbata ac perculſa, mox tantum prolium numerum ac multitudinem ex uno partu imprecabatur, quot vel totius anni dies numerentur. Quod quidem præter naturæ curſum obſtupenda quadam ratione ita eſt factum, ſicut in hac tabula in perpetuam hujus rei memoriam, ex vetuſtis, tàm manuſcriptis quàm typis excuſis Chronicis, breviter*

viter poſitum & enarratum eſt, DEUS *ille ter Maximus, hac de re ſuſpiciendus, honorandus, ac laudibus extollendus in ſempiterna ſecula, Amen.*

Talis erat Inſcriptio.

In calce tabulæ extabat:

HÆC LEGE, MOX ANIMO LECTOR STUPEFACTUS ABIBIS.

CLXXXVIII. Magiſtratum ſpiritualem noſcat, veluti Pontificem ſummum, Cardinales, Epiſcopos, Canonicos; Horum magnam copiam vidi Coloniæ Agrippinæ hoc ipſo anno quo morbus contagioſus ſuſtulit quadraginta millia hominum.

CLXXXIX. Inquirat & in Magiſtratum ſecularem Peregrinans, qui ſecundum receptam Politicorum ſaniorum ſententiam, conſiſtit vel in Monarchia, vel Democratia, vel Ariſtocratia. Qua de re vide Bodinum, Gregor. Tholozanum, & alios.

CXC. Apud Doctiores rimari ſtudeat & ſcrutari ſtatum, conventus provinciales, juriſdictionem, vitam ſubditorum, mores, divitias, ſtudia, & alia.

CXCI. Ex hæc de requiſitis. Nunc hoc ſilentio non eſt involvendum, unumquemque Studioſum debere, ut aliis rebus, ſic cum primis facultatibus & ſtudiis, quibus ſe addixit, egregiam navare operam, ut eo facilius, quod ſequitur, aſſequatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

CXCII. Hæc vera illa Platonica & Ariſtotelica peregrinatio, ob quam toties Homerus ſuum extollit Ulyſſem, dum dicit:

πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα,
ϗ νόον ἔγνω.

Talia nunc videnda in exteris regionibus, talia audienda, conferenda, dijudicanda.

CXCIII. Peregrinans peracto itineris curſu, feliciter in patriam reverſus, priſcas amicitias repetat, mores patrios reſumat, linguam vernaculam imitetur, veſtitu non magis φιλόξενον, quam φιλοπάτριδα ſe præbeat.

CXCIV. Omnia autem quæ à nobis geſta ſunt, vel geruntur, non ad noſtram tantum utilitatem & commodum: ſed ad patriæ ſalutem conferre debemus, cogitantes, *quòd omnibus, qui patriam conſervarint, adjuverint, auxerint, certus ſit in cœlo & deſtinatus locus.*

CXCV. Hoc modo qui peregrinati ſunt ab omnibus magnifiunt, præ cæteris ſuſpiciuntur, honorantur, coluntur, ac quaſi de cœlo dimiſſi putantur. Hos æquales in admiratione habent, his ſeſe reſpublicæ committunt, Principes in aulas aſciſcunt, conſiliis adhibent, officiis præficiunt, & ad omnes eminentiæ gradus evehunt, extollunt.

CXCVI. Meretur hoc ſapientia illorum, eruditio poſtulat, cognitio exoticarum lingua-

gua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

guarum requirit, flagrant hoc tot illorum labores, pericula & ſumptus.

CXCVII. Veriſſimum eſt illud Ciceronis: *Vix enim invenitur* (inquit) *qui laboribus ſuſceptis periculiſque aditis, non quaſi mercedem rerum geſtarum deſiderat gloriam.*

CXCVIII. Quapropter ô Peregrinans,

Nec te pæniteat duros ſubiiſſe labores,
Aut operi inſuetas attenuaſſe manus.

Nam,

Dum juga montis aper, fluvios dum piſcis amabit,
Dum thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ,
SEMPER HONOS, NOMENQUE TUUM, LAUDESQUE MANEBUNT.

CXCIX. Peregrinationem igitur quicunque ſuſcepiſti, vel adhuc cum utilitate ſuſcepturus es, illam, ut cœpiſti, magnificare perge: ſic te ſummus ille hoſpes vitæ hujus curriculo peracto, in cœleſtem illam rempublicam, quæ vitæ ac navigationis omnis noſtræ meta & portus indubitatus, tranſvehet, ſuſcipiet.

CC. Et ſic poteris hilari & paratiſſimo animo dicere:

Inveni portum, ſpes & fortuna valete,
Nil mihi vobiſcum eſt, ludite nunc alios.

ALTISSIMO LAUS OMNIS:
GLORIA POTENTISSIMO SOLI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

INDEX

Eorum quæ Itinerario Friſio-Hollandico continentur.

A.

Alemaria. 37. 103.
Almenum, ſive Harlinga. 18.
Altena, id eſt, Alcmaria. 37.
Amiſia fluvius. 1.
Amſtelodamum. 100. 33 *ejus initia.* 33.

B.

Batavia quæ? 77. *ejus miranda.* 96.
Bempſterus. 33.
D. Bonifacii fons. 17.
Brederodii nobiliſſimi. 75.
Briela. 103.
Brittenburg. 77.

C.

Caſtellum, arx Harlingana. 19.
Caſtrum Ritzardi, Friſiæ regis. 86.
Catvicum. 76. 77.
Comitiſſa, uno partu CCCLXV. *infantes pariens.* 84.
Currus velivolus. 83.

D.

Delphezielum propugnaculum. 1.
Delphi. 89. 99.
Doccumium. 16.
Durdrechtum. 93. 97.

E.

Egmondani ditiſſimi. 75.
Enchuſa. 31. 105.
Eſeloorsberg, caſtrum. 86.

F.

Familiæ Batavicæ præſtantiſſimæ. 75.
Franekera. 17.

G.

Gorichemum. 102.
Gouda. 101.
Gravenhaga. 81.
Groninga. 2.

H.

Harlemum. 43. 98.
Harlinga. 18.
Hindelopa. 20.
Horna. 32. 104.

I.

Iuſti Lipſii domus. 75.

L.

Lauſdunum. 84.
Leovardia. 6.
Leyda. 55.
Loſdunum. 84.
Lugdunum Batavorum. 55. 100.

M.

Motus perpetui autor. 39.

N. *Neo*

N.

Neomagii porta Heſelana. 21. 22.

P.

Parva Hollandia. 33.
Pes Romanus, area Neomagi. 25.
Purmerenda. 33.

R.

Rheni oſtium. 77.
Rhenoburgum. 76.
Riſvicum. 83.
Roterodamum. 91. 102.

S.

Sacrenboſch vel Schakenboſch, nemus. 82.
Scheveringa. 83.
Sevenhuſa. 79.
Stavria. 21. ejus privilegia. 22. 23.

T.

Templum Hollandiæ ſpatioſiſſimum ac pulcherrimum. 43.
Turris Britannica. 77. vel S. Brandarii. ibid.
Typographiæ inventio. 49.

V.

Vbbo Emmius, Academ. Groning. primus rector. 3.
Verona Holland. 37.
Viſurgis fluvius. 1.
Vorburgum. 86.
Vroonlandt. 38.
Vrouwenſandt. 22.
Waſſenarii antiquiſſimi. 75.
Waterlandia. 33.
Worcum. 20.

Z.

Zuichemum. 15.

INDEX

Eorum quæ Libello de Gallo-Brabantia continentur.

A.

Aduaca Tungrorum. 153.
Agimont arx. 126.
Alizuns fluvius. 170.
Ambiaticum. 194.
Ambleva fluviolus. 158.
Antverpia. 117.
Apollinis campus. 199.
Aquæductus antiquus. 184.
Arduennæ ſilvæ deſcriptio. 130. 156. 162.
Arlunium urbs. 162. 165.

Arnoldus à Wachtendonck. 149.
Auguſta Veromanduorum. 190.

B.

Baſtonia oppidum. 161.
Belgarum unde nomen. 115.
Belgium, ubi. 115. 116.
Belgicæ partitio. 113. 114.
Belus Deus. 115. 116.
Borgcaſtel oppidum. 208.
Blanc pais. 164.
Brunehildis via. 123.

C.

Caprinus mons. 133. 134.
Caroli Burgundi epitaphia. 173. &c.
Carolus Langius. 149.
Caſtellum. 153.
Cenei pagus. 156.
Claudiæ Valeſiæ funus. 172.
Condei arx. 177. 180.
Confluentia urbs. 209.
Cors, qua ſignificatione accipiatur. ibid.

D.

Dieulewart Pagus. 181.
Dilia fluvius. 117.
Dittelberg mons. 189.
Divodurum. 186.
Dominicus Lampſonius. 149.
Dræbach oppidum. 208.

E.

Emporium Arduennæ, Baſtonia. 161.
Enkirch pagus. 208.
Erenbreitſtein arx. 210.
D. Eucharii ſacellum. 180.

F.

Fontis Mariæ deſcriptio. 167. 168.

G.

Galliæ nomen, quando primum auditum. 114.
Gallo-Brabantia. 122.
Gemblacum. 121. 124.
Gemep, vicus. 124.
Graffenmachern urbecula. 190.
Guibertus Lotharingus. 124.

H.

Helfenſtein arx. 210.
Heriſtallum. 131.
Hermanſtein arx. 210.
Hoia fluvius. 128.
Hofalizum ſeu Hufaliza oppidulum. 160.
Huijum oppidum. 126. 127

I.

Iacobus Suſius. 118.
Iecora fluviolus. 150.
Igel pagus. 190.
Inſcriptiones antiquæ. 169. & 187. &c.
Ioannes Daubri argentarius: 187.

Ioan-

Ioannis Mandevilii ſepulchrum. 129
Ioannes Mofflinius. 166.
Ioannis regis Bohemiæ cadaver. 171.
Ioannes Scillius geographus. 178.
Iouy pagus. 183.
Iupilla. 131.

K.

Karll oppidum. 209.
Kocheim oppidulum. 208.
Kuntz pagus. 193.

L.

Lambertus Lombardus pictor. 148.
Ledevac pagus. 160.
Leodienſis urbis deſcriptio. 128.
Levi pagus. 197.
Levinus Torrentius. 148.
Lorno fluvius. 124.
Lotharingia. 114.
Lovanium. 119.
Louvegnie pagus. 156.
Lupoſina, Lovanium falſo. 120.
Lutzenburgi deſcriptio. 170.

M.

Manſveldii Comitis ædes. 169.
Marce en Famine oppidul. 163.
Marchevillepagus. 179.
Maria Montmorancia uxor Comitis à Mansfeldt. 167.
Marmorum varia genera 126.
Martelenga pagus. 162.
Martis campus. 198.
Mechlinia. 117.
Mediomatricorum oppidum. 186.
Metenſis urbs. 185.
Meurta fluvius. 177. & *ſeqq.*
Moles lapidea antiqua. 190. 191.
Moſa fluvius. 125.
Muſſipontus urbs. 183.

N.

Namurcum. 124.
Nanceium urbs. 172.
Neomagum urbs ad Moſellam. 208.
D. Nicolai Fanum. 178.
D. Nicolai reliquiæ. ibid.
Notgerus, Epiſcopus Leodienſis. 133.
Numiſmatum antiquæ notulæ interpretatæ. 203.

O.

Olenia fluviolus. 197.
Ourta torrens. 160.

P.

Paris en Ardenne, Baſtonia. 161.
Perviciacum. 153.
Petrus Divæus. 120.
Petrus Erneſtus Comes Mansfeldius. 165.
Pfaltz opidulum. 204.

Piſces

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Piſces Moſellæ fluminis. 193.
Prumienſe monaſterium. 132.

R.

Remali hiſtoria. 159.
Reol, pagus. 204.
Rigodulum. 204. 205.

S.

Sabis fluvius, ejuſque inundatio. 125.
Salmum pagus, & Comitatus. 160.
Sarpaigne pagus. 181.
Sarra fluvius, Saravus Auſonio. 192.
Saviniere fons, & monr 157.
Sella fluvius. 185
Siexck oppidulum. 190.
Sigebertus auctor. 121.
Spa pagus. 156.
Stabulo monaſterium. 158.
Steinfurt pagus. 166.
Sura fluvius, Saur. 162. 190.

T.

Theodonis villa. 189.
Tilemannus Stella. 189.
Treviris deſcriptio. 195.
Tungri oppidum. 145.
Tungrorum fons. 157.

V.

Veſa fluvius. 156.
Vini fertilis locus. 208.
Vta fluvius. 156.
Walheim pagus.- 122.
Wannen pagus. 160.
VVaſſerbillich oppidulum. 162. 190.

Y.

Yona fluvius. 115.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
224 B 46